URKUNDEN

ZUR

GESCHICHTE DER ARMENIER IN LEMBERG.

HERAUSGEGEBEN

VON

DR. FERDINAND BISCHOFF,
O. Ö. PROFESSOR AN DER LEMBERGER UNIVERSITÄT.

Digitized by Google

Digitized by Google

Der Fund des (im 40. Bande der Sitzungsberichte der historisch-philosophischen Section der kaiserl. Akademie bereits veröffentlichten) alten Rechtes der Armenier in Lemberg lenkte meine Aufmerksamkeit besonders auf die, die Geschichte dieser Armenier betreffenden Urkunden, welche ich in bedeutender Anzahl in dem sonst stark gelichteten Lemberger Stadtarchiv vorfand, da glücklicherweise die meisten jener Fascikel noch vorhanden waren, worin sich laut des Archivsrepertoriums auf armenische Verhältnisse bezügliche Urkunden befanden.

Wenn die neuere Geschichtsforschung mit Recht besondern Werth auf jene Geschichtsquellen legt, welche über die socialen, Rechts- und Culturzustände Auskünfte gewähren, so darf ich um so mehr hoffen, mit der Veröffentlichung der hier folgenden Auswahl von Urkunden keine werthlose Arbeit gethan zu haben, als der Vorrath an gedruckten Urkunden für die Geschichte der ostgalizischen Länder ungemein gering ist.

Dieser Mangel an gedruckten Urkunden war ein Grund mehr für mich, die hier folgenden möglichst genau und in ihrem ganzen Umfange mitzutheilen.

Andererseits schien durch die grosse Menge der im Archive vorhandenen Urkunden eine Beschränkung der Veröffentlichung derselben geboten, daher die zahlreichen Transsumte der hier mitgetheilten Urkunden, die vielen Citationen, Limitationen, Prorogationen und Mandate in Rechtsstreitigkeiten, deren wesentliche Ergebnisse aus den folgenden Urkunden ersichtlich sind, sowie Urkunden, welche zunächst nur kirchliche Verhältnisse betreffen — worunter namentlich die vielen aus Anlass der Vereinigung eines Theils der Armenier mit der römischen Kirche gewechselten Streitschriften einem künftigen Geschichtschreiber dieses wichtigen Ereignisses merkwürdige Aufschlüsse darüber geben dürften — hier von der Veröffentlichung ausgeschlossen wurden.

In polnischer Übersetzung finden sich viele der nachfolgenden Urkunden, sowie einige andere für die Geschichte der Armenier in

Digitized by Google

Lemberg nicht unwichtige Schriftstücke, in einem von mir an einem anderen Orte [1]) beschriebenen Codex des Vorstandes der Ossolynskischen Bibliothek, Herrn von Bielowski, worin auch das:

„Privilegium a Theodoro Duce Russiae Demetrii filio Armenis anno 1062 datum, in archivo judicum Leopoliensium Armenorum in originali reperibile, in metrica regni Poloniae ex Ruthenico idiomate in Latinum transpositum et oblatum.

Ecce Magni Ducis Theodori Zub Demetrii filii Cosochacensibus Armenis.

Qui huc volunt venire veniant in auxilium meum ad tres annos, et ego vobis dabo libertatem, et cum fueritis apud me, ubi quis voluerit, illuc ibit libere."

Dazu steht in anderer Schrift eine Bemerkung, wonach in dem ruthenischen Originale dieses Privilegiums weder das Wort Zub noch eine Jahreszahl enthalten und zweifelhaft ist, ob Nosoechackim oder Kosoechackim gelesen werden müsse.

1) In meiner Abhandlung über das alte Recht der Armenier (Österreichische Blätter für Literatur und Kunst, Jahrgang 1837, Beilage der „Wiener Zeitung").

Digitized by Google

Urkunden-Verzeichniss.

1. v. J. 1377. H. Ladislaw's Confirmation eines Kaufvertrages.
2. „ „ 1387. K. Wladislaw's Confirmation eines Privilegiums vom Jahre 1380 und eines vom Jahre 1379.
3. „ „ 1402. K. Wladislaw's Handelsprivilegium.
4. „ „ 1415. K. Wladislaw's Privilegium über den Gerichtsstand der Leute der St. Johanneskirche.
5. „ „ 1427. K. Wladislaw's Aufnahme einer armenischen Familie in's deutsche Magdeburger Recht.
6. „ „ 1434. K. Wladislaw's Decret bezüglich des Testirungsrechtes der Armenier.
7. „ „ 1436. K. Wladislaw's Befehl der Aufnahme mehrerer Armenier in's deutsche Recht.
8. „ „ 1440. K. Wladislaw's Decret über die Contributionspflicht der Armenier.
9. „ „ 1440. K. Wladislaw's Confirmation des Privilegs vom Jahre 1434 (Nr. 6).
10. „ „ 1444. K. Wladislaw's Mandat bezüglich der armenischen Fleischbänke.
11. „ „ 1455. K. Kasimir's Verleihung des Bürgerrechtes an mehrere Armenier.
12. „ „ 1461. K. Kasimir's Confirmation der Urkunden 2, 8, 9.
13. „ „ 1461. K. Kasimir's Confirmation der Urkunde 10.
14. „ „ 1462. K. Kasimir's Privilegium über den Gerichtsstand der Armenier.
15. „ „ 1462. K. Kasimir's Handelsprivilegium.
16. „ „ 1486. K. Kasimir's Prorogation seines Privilegiums vom Jahre 1476 und Verleihung der Weinhandlungsbefugniss.

Digitized by Google

17. v. J. 1494. K. Johann Albert's Genehmigung der Schenkung des armenischen Bades an die Lemberger Metropolitankirche.
18. „ „ 1497. K. Johann Albert's Urkunde über den Verkauf des armenischen Bades.
19. „ „ 1502. K. Alexander's Veräusserung seiner Fischteiche.
20. „ „ 1503. K. Alexander's Schenkung eines Ringhauses.
21. „ „ 1505. K. Alexander's Zollbefreiung.
22. „ „ 1509. K. Sigismund's Confirmation der Urkunden 12, 13, 21.
23. „ „ 1510. K. Sigismund's Decret über den Gerichtsstand.
24. „ „ 1512. K. Sigismund's Confirmation der Urkunde 5.
25. „ „ 1513. K. Sigismund's Friedensmandat an die Lemberger Consuln.
26. „ „ 1518. K. Sigismund's Declaration der Urkunde 23 und Confirmation früherer Privilegien.
27. „ „ 1518. K. Sigismund's Decret über die Gerichtsstätte der Armenier und über Contributionspflicht.
28. „ „ 1518. K. Sigismund's Entscheidung eines Rechtsstreites bezüglich der Gerichtsbarkeit.
29. „ „ 1519. K. Sigismund's Confirmation der Urkunde 15.
30. „ „ 1519. K. Sigismund's Friedensmandat an die Lemberger Consuln.
31. „ „ 1521. K. Sigismund's Mandat an die Armenier über die Zulassung katholischer Zeugen und die Strafgewalt der Consuln.
32. „ „ 1523. K. Sigismund's Entscheidung eines Rechtsstreites über gerichtliches Zeugniss, Resignation liegender Güter u. a.
33. „ „ 1548. K. Sigismund August's Generalconfirmatorium.
34. „ „ 1549. K. Sigismund August's Exemtion der Armenier von fremder Gerichtsbarkeit.
35. „ „ 1561. K. Sigismund August's Verbot des Übertrittes aus dem armenischen Recht in's deutsche.
36. „ „ 1563. K. Sigismund's Sentenz in Streitigkeiten über die Gerichtsbarkeit.
37. „ „ 1574. Der Lemberger Consuln Bewilligung des Ankaufes von Gärten und Grundstücken durch Armenier.
38. „ „ 1574. K. Heinrich's Generalconfirmatorium.
39. „ „ 1576. K. Stephan's Generalconfirmatorium.
40. „ „ 1578. K. Stephan's Gleichstellung der Armenier mit den Bürgern.

Digitized by Google

41. v. J. 1584. K. Stephan's Mandat an den Stadtmagistrat betreffs des Gebrauches des neuen Kalenders.
42. „ „ 1585. K. Stephan's Entscheidung eines Rechtsstreites zwischen einem Armenier und den Lemberger Schöffen wegen Arrestirung u. a.
43. „ „ 1587. Auszug von Rechtsurkunden aus den Grodecker Gerichtsacten.
44. „ „ 1588. K. Sigismund's Generalconfirmatorium.
45. „ „ 1588. K. Sigismund's Rechtsspruch bezüglich der Inscription und Resignation unbeweglicher Güter.
46. „ „ 1589. Recognition der Lemberger Zechmeister über die Anzahl der Kaufläden in Lemberg und deren Besitzer.
47. „ „ 1591. K. Sigismund's Citation der Armenier.
48. „ „ 1596. K. Sigismund's Sentenz in einem Competenzstreit.
49. „ „ 1600. K. Sigismund's Erläuterung des Privilegs des K. Stephan über Tuchhandel, Schank- und Gewerberechte u. a. (40).
50. „ „ 1600. K. Sigismund's Decret über den Häuserbesitz der Armenier in Lemberg.
51. „ „ 1616. K. Sigismund's Confirmation der armenischen Rechte, Freiheiten etc. und insbesondere das Verordnungsrecht der Senioren.
52. „ „ 1622. K. Sigismund's Verbot ungerechter Abgabenforderungen.
53. „ „ 1632. Sentenz des Lemberger Consularamtes gegen einen Armenier.
54. „ „ 1633. K. Wladislaw's Generalconfirmatorium.
55. „ „ 1634. K. Wladislaw's Sentenz in einem Competenzstreite.
56. „ „ 1635. K. Wladislaw's Sentenz in einem Rechtsstreite über Gewaltthätigkeiten, angemasste Gerichtsbarkeit etc.
57. „ „ 1641. K. Wladislaw's Zollbefreiung.
58. „ „ 1648. K. Wladislaw's Sentenz über Gerichtscompetenz.
59. „ „ 1651. K. Johann Kasimir's Handelsprivilegium.
60. „ „ 1654. K. Johann Kasimir's Sentenz über Handelsbefugniss, Propination u. a.
61. „ „ 1659. K. Johann Kasimir's Confirmation der Urkunde 54.
62. „ „ 1669. K. Michael's Generalconfirmatorium.
63. „ „ 1676. K. Johann's Generalconfirmatorium.

Digitized by Google

64. v. J. 1678. K. Johann's Privilegium über Contributionsfreiheit und Aufnahme der Armenier in die Schützengilde.
65. „ „ 1686. K. Johann's Sentenz über den Gebrauch des Consultitels u. a.
66. „ „ 1688. K. Johann's Zahlungsmandat an die Lemberger Stadtgemeinde.
67. „ „ 1692. K. Johann's Rechtsspruch über Gerichtscompetenz u. a.
68. „ „ 1697. K. August's Generalconfirmatorium.
69. „ „ 1736. K. August's Confirmation der Urkunde 63.

Digitized by Google

I.

1377. K. Ladislaus von Opeln etc. bestätigt den Kauf des Hofes „Malocha".

In nomine domini amen. Ladislaus dei gracia dux Opoliensis Weluniensis et Russie tenore presencium notificamus quibus expedit vniuersis, quod in nostra corporali presencia constitutus Mardrus Armenus de Lemburga sanus corpore et racione non deceptus, non coactus, pro libera atque spontanea sua voluntate, de consilio suorum affinium curiam suam Malocham dictam in districtu Lemburgense sitam cum vno molendino et alijs suis pertinenciis, vtilitatibus et fructibus vniuersis, prout eadem curia in suis metis existit limitata, videlicet agris, campis, pratis, pascuis, aquis et earum decursibus, piscinis, piscaturis, siluis, nemoribus, vngultis, mellificijs et alijs obuencionibus, quibuscunque vocentur nominibus, ad eandem curiam pertinentibus pro decem marcis grossorum numeri Rutenicali rite et racionabiliter vendidit iustoque condicionis titulo vendidit prouido viro Johanni Machowicz ciui nostro Lemburgensi ipsius et heredibus et successoribus legitimis perpetuis temporibus possidendam, tenendam, habendam, vtifruendam, donandam, vendendam, obligandam, comutandam, alienandam, ac in vsus suos suorumque heredum et successorum legittimorum beneplacitos conuertendam pro suo et eorum beneplacito voluntatis, quam quidem vendicionem et empcionem ratas, gratas et firmas volumus obseruari temporibus perpetuis duraturam. Tenetur autem prefatus Johannes Machwicz, sui heredes et successores legittimi de eadem curia nobis et nostris posteris, quociens opportunum fuerit, cum vno sagittario deseruire. Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum actum et datum Grodek feria quinta post dominicam sancti Francisci confessoris anno domini millesimo CCCLXXVII, presentibus Jescone Radbo capitano Russie, Pribcone castellano Belzensi, Petro Belon, Hancone. . . . (?), Paulo. . . . (?), Johanne. . . . (?), ciuibus Lemburgensibus, et domino

Digitized by Google

Nicolao nostro cancellario qui presencia habuit in comisso, et alijs multis nostris fidelibus fidedignis.

Lectum per Albertum de Ziehlin
r. P. vicecancellarium.

Im Lemberger Stadtarchiv fasc. 473. Auf einem Quartblatt Pergament mit vielen Abkürzungen und flüchtig geschrieben. Das gut erhaltene grüne Wachssiegel hängt in der Mitte an roth und grüner Seidenschnur.

II.

1387. K. Wladislaw's Confirmationsprivilegium einer Urkunde K. Ludwig's v. J. 1380 und einer Urkunde der K. Elisabeth v. J. 1379, wodurch die Lemberger Armenier in ihren alten Rechten geschützt werden.

Wladislaus dei gracia rex Polonie Lithuanieque princeps supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presentium quibus expedit universis, quomodo fideles nostri Armeni ad nostre maiestatis venientes presenciam nobis cum magna instancia humiliterque supplicaverunt, ut literas supra iuribus ipsorum presentes serenissimorum pie memorie Lodovici regis et Elizabeth senioris regine olim Ungarie, Polonie etc. ratificare, confirmare et approbare dignaremur, quarum quidem literarum prime tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis. Lodovicus dei gracia rex Ungarie, Polonie, Dalmacie etc. nostris fidelibus universis et singulis capitaneis, woyewodis, burgrabiis, officialibus per totam terram nostram Russie constitutis graciam regiam cum salute. Cupientes comunitatem Armenorum nostrorum in Lemburga civitate nostra terre prescripte nostre perfrui bona pacis tranquilitate, vestre universitati ac fidelitati nostro regio edicto firmiter committentes mandamus, quatenus Armenos nostros in dicta civitate Lemburgense intra et extra muros civitatis eandem cohabitantes in suis consuetudinibus et moribus, quibus alias tempore serenissimi principis Kazimiri eadem gratia olim regis Polonie beate recordationis et fratris nostri preclari ac tempore nostri regiminis hucusque usi sunt et utebantur, ex nunc prout ex tunc utifrui pacifice et quiete statu et iure primevo absque omni recusa stare et vivere permittatis nostre regalis gracie sub obtentu. Vobis nichilominus nostro fideli baroni magnifico viro domino Johanni capitaneo terre Russie sepius nominate singulariter committimus infirmantes (?), quatenus superius dictos Armenos ab hominum quorumlibet iniuriis, molestiis

Digitized by Google

et perturbacionibus universis tueri et protegere solicite debeatis et in eorum iure per vos et quoslibet vestrorum nec non alios in terra Russie constitutos more solito stare permittatis cum effectu. Harum quibus sigillum nostrum impressum est testimonio literarum, presentes autem reddi iubemus semper post lecturam. Datum in Diiosgenr septima die octavarum festi pasce anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo. Alterius vero tenor sequitur in hec verba. Elizabeth dei gracia Ungarie et Polonie regina senior nostris fidelibus universis et singulis capitaneis, woyewodis, burgrabiis, officialibus per totam terram nostram Russie constitutis graciam regiam cum favore. Cupientes communitatem Armenorum nostrorum in Lemburga ciuitate nostra terre prescripte nostre perfrui bona pacis tranquilitate, vestre nimirum universitati ac fidelitati nostro regio edicto firmiter commitentes mandamus, quatenus Armenos nostros in dicta civitate nostra Lemburgense intra muros et extra civitatis eiusdem cohabitantes in suis consuetudinibus, moribus videlicet, advocatis, episcopis, sacerdotibus, ecclesiis, seu quibusvis utilitatibus ac iuribus universis, quibus alias tempore serenissimi principis domini Kazimiri eadem gracia olim regis Polonie beate recordationis fratris nostri preclari ac tempore nostri regiminis usi fuerant hucusque et utebantur, ex nunc prout ex tunc utifrui pacifice et quiete statu et iure primevo absque omni contradictione et recusa stare et vivere permittatis nostre reginalis gracie sub obtentu. Vobis nichilominus nostro fideli baroni domino Janussio capitano terre sepius nominate singulariter comittimus infirmantes (?), quatenus superius dictos Armenos ab hominum quorumlibet iniuriis, molestiis et perturbationibus universis tueri et protegere sollicite debeatis et in eorum iure per vos et quemlibet vestrum nec non alios in terra Russie constitutos more pristino permittatis cum effectu. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Datum in Appriassj feria tercia in vigilia beati Bartholomei apostoli anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono. Nos vero iustis eorum peticionibus acclinati premissas eorum literas in omnibus earum clausulis, punctis et condicionibus universis innovamus, approbamus, ratificamus, gratificamus et tenore presentium confirmamus. Vobis igitur capitano et eius woyewodis nostris fidelibus qui pro tempore fueritis damus firmissime regalibus in mandatis, quatenus predictos Armenos in eorum iuribus, moribus et consuetudinibus universis stare et libere vivere permittatis nullos modos et iura contra ipsos et eorum quemlibet statuere presumentes, aliud pro gracia nostra

Digitized by Google

facere non ausuri. Datum in Grodek in crastino sancti Luce evangeliste anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, nostre maiestatis sigillo presentibus subappenso. *

Nr. 18 des Stadtbuches mit der Repertoriumszahl 1061. — S. auch die Confirmationsurkunde K. Sigismund's v. J. 1509.

III.

1402. K. Wladislaw's Handelsprivilegium.

Wladislaus dei gratia rex Polonie etc. significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis, quomodo pio compassionis affectu perpendentes et in animo reuoluentes defectus et dispendia Armenorum nostram ciuitatem Lamburgensem inhabitancium, que ipsis eueniunt ex eo quod partes Thartaricas visitare non poterint et mercancias ipsorum exercere, quos specialis gracie prerogatiua preuenire cupientes et eos a dispendijs et defectibus releuare, ipsis plenam et omnimodam tenore presencium concedimus facultatem, quod terras nostras tam Russie quam Lithuanie et ceteras terras, quas regni nostri complectitur amplitudo, cum eorum mercibus possint visitare et eorum mercantias exercere, prout ceteri mercatores in regno nostro degentes ipsas faciunt et exercent. Vobis igitur vniuersis et singulis capitaneis, procuratoribus, woiewodis, viceprocuratoribus, consulibus ciuitatum et rectoribus earundem, necnon ceteris regni nostri officialibus qui presentibus fuerint requisiti damus nostris firmis regalibus in mandatis, quatenus eosdem Armenos nostros de ciuitate Lamburgensi cum ipsorum mercibus, cuiuscunque generis uel speciei fuerint, ire sine omni impedimento permittatis et eorum mercancias et negotiaciones iuxta ipsorum voluntatis beneplacitum exercere. Datum in Lamburga feria tercia proxima ante festum sancti Francisci confessoris, anno domini millesimo quadringentesimo secundo.

Aus dem Privileg K. Sigismund's v. J. 1519, wodurch K. Kasimir's Confirmation der armenischen Handelsprivilegien v. J. 1462 bestätigt wurde. (S. unten.)

IV.

1415. K. Wladislaw's Privilegium in Betreff des Gerichtsstandes der armenischen Gärtler und Innleute der St. Johanneskirche.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam, quia tunc errorum et dubiorum prudenter occurrimus incommodis, dum gesta

Digitized by Google

aetatis nostrae literarum apicibus et fide dignorum testimonio perhennamus, proinde nos Wladislaus dei gratia rex Poloniae necnon terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiauiae Lithuaniaeque princeps, supremus Pomoraniae Russiaeque dominus et haeres etc. significamus tenore praesentium quibus expedit vniuersis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris, quomodo ad instantiam petitionis honorabilis Sigismundi canonici et praebendarii Sancti Joannis extra muros ciuitatis nostrae Leopoliensis deuoti nostri dilecti Armenos et hortulanos ac incolas ad ecclesiam praedictam Sancti Joannis ab antiquo pertinentes, qui in hortis et locis ecclesiae praedictae Sancti Joannis propinquo circumquoque demorantur, de iure Ruthenico in Armenicum, quo alii Armeni in ciuitate nostra Leopoliensi existentes perfruuntur, transferimus perpetue duraturum, remouentes ibidem omnia iura Ruthenicalia, modos et consuetudines vniuersas, quae ipsum ius Armenicum plerumque perturbare consueuerunt. Eximimus insuper et perpetuo liberamus omnes et singulos Armenos hortulanos et incolas praedictorum locorum ab omni iurisditione et potestate omnium et singulorum regni palatinorum nostri, castellanorum, capitaneorum, iudicum et subiudicum, et quorumuis officialium et ministerialium eorundem, vt coram ipsis aut aliquo ipsorum pro causis tam magnis quam paruis, puta furti, incendij, sanguinis, homicidij, membrorum mutilationis et quibusuis enormibus excessibus, citati minime respondere teneantur nec aliquas poenas soluere sint astricti, sed tantum Armeni hortulani et incolae de suburbio et loco ad praebendam ecclesiae Sancti Joannis praedictae quolibet spectante coram advocato suo ibidem pro tempore existente, aduocatus uero coram Sigismundo canonico et praebendario eiusdem ecclesiae Sancti Joannis praedicto vel coram suo successore aut coram nobis vel iudicio nostro generali, dum tamen per nostram literam nostro sigillo sigillatam fuerint euocati, et hoc si in reddenda iustitia negligens fuerit et remissus, tunc non aliter quam suo iure Armenico praedicto de se quaerulantibus respondere sit astrictus. In causis vero criminalibus et capitalibus superius expressis advocato praedicti suburbii hortorum et locorum praetactorum pro tempore existenti in metis et graniciis iudicandi, sententiandi, corrigendi, plectendi et condemnandi plenam damus et omnimodam tenore praesentium concedimus facultatem, prout hoc ipsum ius Armenicum, quod habent Armeni ciuitatis nostrae Leopoliensis, vt praefertur, in omnibus suis punctis, articulis, conditionibus, sententiis et clausulis postulat et requirit, iuribus tamen nostris regalibus in omnibus semper saluis. Harum quibus

Digitized by Google

sigillum nostrum majestatis appensum est testimonio literarum actum in Leopoli feria quarta proxima post festum Paschae anno domini millesimo quadringentesimo quindecimo, praesentibus in Christo patribus dominis Joanne Sanctae Leopoliensis ecclesiae archiepiscopo, Mathia Praemisliensi episcopo, strenuisque et nobilibus Mosticio de Stenessow Posnaniensi, Iwone de Obrechow Osremensi castellanis, Joanne de Roshow, Spithkone de Tharnow et aliis quam pluribus fide dignis. Datum per manus reuerendi in Christo patris domini Alberti dei gratia episcopi Cracouiensis regni Poloniae cancellarij et venerabilis diuae sedis apostolicae protonotarij, decani Cracouiensis, praepositi Sancti Floriani Gneznensis, Cracouiensisque et Crusnensis ecclesiarum canonici nobis sincere dilectorum, ad rellationem reuerendi in Christo patris domini Joannis dei prouidentia sanctae Leopoliensis ecclesiae archiepiscopi.

Aus dem Transsumt de d. in castro inferiori Leopol. feria tertia post festum S. Catherinae Virg. prox. a. d. 1590 mit Unterschriften und Siegel, im Lemberger Stadtarchiv fasc. 396.

V.

1427. K. Wladislaus unterstellt einen Armenier sammt Familie unter das d. Magdeburger Recht.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam Wladislaus dei gratia rex Poloniae Lithuaniaeque princeps supremus et haeres Russiae etc. significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris, quomodo volentes, vt ciuitas nostra Leopoliensis, ad quam speciali fauore et affectu acclinamur, tempore nostri felicis regiminis conditionem recipere valeat meliorem, et quod res et mercanciae praetiosi ponderis et valoris per omnes et singulos mercatores, cuiuscunque status et conditionis homines existant, vti ex antiqua consuetudine iuxta privilegia et libertates olim serenissimi Kazimiri regis Poloniae praedecessoris nostri eidem ciuitati concessa, quae hoc ipsum latius canunt et demonstrant, negotiari valeant et exercere, et vt idem mercatores, vt puta status et ritus Armenici, a quibus nobis commoda crescunt non modica, sub nostra protectionis dextera in ipsa ciuitate degentes amplectentur gratia nostra libertatis singulari vti, de petitionibus fidelis nostri Tisskonis Armeni filij olim Missier mercatoris Leopoliensis acclinati ipsum ac consortem ac pueros suos legitime ab eo descendentes de iure Armenico et quouis alio excipimus et perpetuo

Digitized by Google

liberamus iurique Theutonico Maideburgensi, quo omnes Christiani inibi morantes, qui sub obedientia Romanae fidei sacram fidem profitentur, gaudent et fruuntur, adiungimus et perpetuis temporibus aggregamus, eidem Thiskoni Armeno et consorti suae ac pueris nec non posteritati ipsorum ab eis legitime procreatae omnibus priuilegiis, iuribus, consuetudinibus, libertatibus et gratiis vti alijs Christianitatis dictae ciuitatis incolis plenam et omnimodam perpetuis temporibus tribuentes et dantes facultatem vtifrui et gaudere. Mandamus igitur omnibus dictae ciuitatis Leopoliensis aduocato, . . . ciuium et consulibus caeterisque officialibus modernis et in posterum constitutis, quatenus praefatum Tisskonem et consortem suam ac pueros cum posteritate eorum legitima circa hanc quam ipsis concessimus et concedimus conseruare debeatis libertatem iurique vestro et communitati ciuili adiungere et aggregare. Harum quibus etc.

Actum in Swirsze (?) feria quinta post festum sancti Michaelis proxima anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, praesentibus magnifico Sandiuogio de Ostrorog palatino Posnaniensi, strenuisque et nobilibus Christino de Kozieglowij Sandecensi, Domarath de Cobijlanij Biecensi castellanis, Alberto Malski succamerario Lancicienſi, Andrea Ciolek de Zeliechow succamerario Sandomiriensi, Joanne Manzijk de Dambrowa mensae nostrae subpincerna generali, et Andrea de Brohouicze tribuno Lublinensi multisque aliis quam pluribus fidedignis, datum per manus venerabilium Joannis decani Cracouiensis regni Poloniae cancellarij et Stanislai Cziolek eiusdem regni Poloniae vicecancellarij sincere nobis dilectorum, ad relationem dicti domini Joannis decani Cracoviae r. P. cancellarii.

Aus dem Transsumt Sigismund's III. de dat. Varsauiae in Comit. R. Gener. die duodecima mensis Januarii a. d. 1591 Regni vero nostri a. quarto. Joannes Zamoiski R. P. Cancell. Gener. Capit. subscripsit, enthaltend die Confirmation dieser Urkunde durch K. Sigismund I. de dat. Crac. feria sexta ante Dom. Laetare prox. a. d. 1512; im Lemberger Stadtarchiv fasc. 396.

VI.

1434. K. Wladislaus' Decret in Betreff des Testirungsrechtes der Armenier.

Wladislaus dei gracia rex Polonie Lutwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. Iwanis aduocato Armenorum Leopoliensium aut

Digitized by Google

alteri pro tempore existenti graciam nostram. Armene noster. Ad instanciam peticiones hodie nos parte omnium Armenorum hic oblatas omnes et singulos Armenos nostros Leopolienses in iuribus et consuetudinibus ipsorum antiquis, in quibus vsque huc intacte fuerunt obseruati, volentes de fauore nostro speciali conseruare decernimus, quod nullus Armenus siue alter quicumque indigena siue extraneus audeat siue presumat testamentum vltime voluntatis predictorum Armenorum seu alterius ipsorum, dum et quociens id acciderit, impedire. Quod si aliquis impediens testamentum huiusmodi extreme voluntatis predictorum Armenorum seu alterius ipsorum occurreret, mandamus tibi, quatinus deinceps ipsum siue ipsos ad repetendum et impediendum talis modi extremam voluntatem non admittas, imo in antiqua consuetudine ipsos Armenos et quemlibet ipsorum, qua vsque modo vsi sunt in faciendis et exequendis huiusmodi testamentis, conserues et exequutores dictorum testamentorum impetere non permittas, deinceps gracie nostre sub obtentu non facturus. Datum Sandomirie feria quarta proxima post dominicam Inuocauit, anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto.

Aus K. Sigismund's Confirmat. von 1509. (S. unten.)

VII.

1436. K. Wladislaw's Mandat der Aufnahme mehrerer Armenier in das deutsche bürgerliche Recht Lembergs.

Consules ciuitatis Leopoliensis notum facimus tenore praesentium, reperiri in actis nostris consularibus exemplum litterarum olim serenissimi diuae memoriae Wladislai regis Polloniae, quarum tenor est talis.

Wladislaus dej gratia rex Polloniae etc.

Famosis consulibus ciuitatis nostrae Leopoliensis fidelibus dilectis gratiam regiam et omne bonum. Dilecti fideles. Per magnificum Vincentium de Schamothuli castellanum Niedzirzensi et capitaneum nostrum Russiae generalem nobis sincere dilectum hodie coram nobis et consiliariis nostris nobiscum in presenti generali Cracouiensi conuentione praesentium positam accepimus relationem, qualiter Armeni Senho (?), Haczile (?) et Meleschke de Luczka domicillio et residentia in Leopoli se uellent transferre, etiam in parte majori se transtulerunt, quos nobis satis ample recommendauit. Qui Armeni, prout ipse Vincentius retulit,

Digitized by Google

nobiscum et cum caeteris fidelibus nostris, sub iure Theutonico Leopoliensis nostrae ciuitatis degere oneraque uniuersa portare satagunt feruenter, et eapropter vobis de consilio praetactorum consiliariorum nostrorum comittimus et mandamus, quatenus eosdem Armenos Senhonem, Haczile et Meleschkonem in vestrum ius Theutonicum ciuile admittere et recipere, ex quo taliter nobis recommendati existunt, sed non intendimus per hoc nec volumus, vt vestro iuri ciuili in aliquo derogetur. Datum Cracouiæ feria sexta proxima post festum ascensionis domini anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

Nolumus etiam eosdem Armenos a solutione teloneorum fore absolutos, sed volumus, ut ipsa in ciuitate soluant et vbi soluere tenentur, cedula inclusa.

Relatio magnifici Nicolai de Michalow castellani et capitanei Cracou.

In cujus rei fidem sigillum nostrum præsentibus est appressum.

Papier, aufgedrucktes Stadtsiegel. Im Lemberger Stadtarchiv Fasc. 396.

VIII.

1440. K. Wladislaw's III. Decret über die Contributionspflicht der nach deutschem Rechte lebenden Armenier.

Wladislaus tercius dei gracia rex Polonie Litwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quomodo volentes Armenos in ciuitate nostra Leopoliensi degentes coadunare, vt et hij, qui vnius fidei sunt, et vnius fiant participes legisve statuti, vtque vno succurrens alteri melius et abundancius valeant de nostris prouentibus respondere, statuimus de nostrorumque baronum consilio decrenimus et decernimus tenore presencium mediante, quod omnes et singuli Armeni fide Armenorum viuentes, quorum multi de iure suo Armenico se in ius Theutonicum transtulerunt, eoque pociantur et fruantur, ita scilicet quod, dum et quociens ipsi Armeni per nos tanquam nostri subditi pro aliquibus dacionibus siue solucionibus requirentur, omnes vnanimiter iuxta vniuscuiusque exigenciam pro eisdem solucionibus ant dacionibus ipsis per nos impositis contribuant et componant. Quocirca vobis palatino, capitaneo et aliis officialibus presentibus requirentibus et pro tempore existentibus mandamus seriose, quatinus mox visis presentibus Arme-

Digitized by Google

nos predictos in ciuitate Leopoliensi degentes, non obstante quouis impedimento, predicta attendere non curantes arceatis et compellatis, vt premissa omnia diligenter et fideliter exequantur. Vobis vero Armenis eciam in jure Teutonico manentibus seu manere volentibus eciam strictissime mandamus, quatinus decretis et statutis nostris prescriptis nulla contrauenire presumatis racione, gracie nostre sub obtentu secus facere non ausuri. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum Cracouie feria secunda post dominicam Oculi anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo. Relacio magnifici Petri Odrowansch palatini Leopoliensis.

Aus K. Sigismund's Confirmat. v. J. 1509. (S. unten.)

IX.

1440. K. Wladislaw's III. Confirmatorium der Urkunde K. Wladislaw's von 1434 über das Testirungsrecht.

Wladislaus tercius dei gracia rex Polonie Litwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quomodo Armeni nostri ciuitatis Leopoliensis in nostre maiestatis presencia constituti obtulerunt nobis literam serenissimi olim progenitoris nostri carissimi papiream super faciendis testamentis vltime ipsorum voluntatis, humiliter et diligenter supplicantes, quatinus ipsis eandem literam ratificare et approbare ac confirmare dignaremur. Cuius quidem litere tenor sequitur et est talis: Wladislaus dei gracia rex Polonie Lytwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. Iwanis aduocato Armenorum Leopoliensium aut alteri pro tempore existenti graciam nostram (sequitur priuilegium de dat. Sandomirie feria quarta prox. post dom. Inuocauit a. d. 1434). Nos itaque, predicta litera ita iusta et racionabili cognita, ipsam tenore precensium ratificamus, approbamus et confirmamus, decernentes eam obtinere robur vere firmitatis, mandantes omnibus et singulis officialibus nostris terrarum Russie aut alijs pro tempore existentibus, quatinus predictos Armenos in prescripta eorum vltime voluntatis et testamentorum executione nulla debeatis aut presumatis impedire racione, gracie nostre sub obtentu secus facere non ausuri. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum Cracouie feria quarta post

Digitized by Google

dominicam Oculi anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo. Relacio magnifici Petri Woda de Szczekoczin, regni Polonie vicecancellarij.

Aus K. Sigismund's Confirmat. v. J. 1509. (S. unten.)

X.

1444. K. Wladislaw's Mandat in Betreff der armenischen Fleischbänke.

Wladislaus dei gracie Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie etc. rex Lytwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod pro parte Armenorum aduocati nostrorum ciuitatis Leopoliensis expositum habuimus in querela, quod, licet idem aduocatus duo maccella carnium in eadem ciuitate nostra hereditarie obtinet, ab ipsisque ac aduocacia nobis certum censum, videlicet decem et octo sexagenarum singulis annis exsoluit, tamen interdum a nostris aliquibus subditis in possessione libera dictorum maccellorum impeditur. Nos enim dictum aduocatum circa possessionem eorundem maccellorum iuxta consuetudinem ipsorum diucius tentam aliosque omnes et singulos Armenos circa iura, literas et consuetudines, quibus semper gaudebant, inviolabiliter conseruare volumus, omniaque iura ipsorum et consuetudines prefatas, prout ad ea litere ipsorum canunt, in omnibus clausulis, punctis et articulis ratificamus et confirmamus per presentes. Quocirca vobis capitaneis et consulibus ciuitatis nostre Leopoliensis predicte presentibus et futuris, ad quos presentes pervenerint, mandamus omnino habere volentes, quatinus eundem aduocatum iuxta ipsius iura et literas ad eadem maccella canentes aliosque Armenos circa iura et consuetudines ipsorum, quibus prius vsi sunt et gaudebant, conseruare debeatis, nullaque grauamina seu preiudicia ipsis inferatis, ipsumque aduocatum ipsorum circa vendicionem carnium solitam et consuetam in eisdem maccellis conseruetis, efficientes, ne in posterum alique supra premissis in aures nostras deueniant querele, secus non facturi gracie nostre sub obtentu. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Bude feria sexta die Sancti Alexii sub anno domini quadringentesimo quadragesimo quarto. Ad mandatum regie maiestatis Joannes Reii Sancti Michaelis prepositus.

Aus K. Sigismund's Confirmat. v. J. 1509. (S. unten.)

Digitized by Google

XI.

1455. K. Kasimir's Verleihungsprivilegium des Bürgerrechts an mehrere Armenier.

Kazimirus dei gracia rex Polonie, magnus dux Litphanie, Russie Prussieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis harum noticiam habituris, quomodo de nostra certa sciencia et ex gracia speciali cupientes prouidos Iwaszkonem et Steczkonem cum Thoma, fratres germanos indiuisos, nostros Armenos in Leopoli, filios olim Jacobi, nostris fauoribus prosequi graciosis, ipsis Waschkoni, Steczkoni et Thome fratribus ius ciuile Leopoliense tale, prouti in suis punctis, articulis et clausulis latius est descriptum et continetur, iuxta tenorem sue inscripcionis dedimus, donauimus, contulimus, damus, donamus, conferimus et largimur per presentes, ipsos eliberantes et absoluentes a quibusuis theloneis et foralibus Leopoliensibus nobis per ceteros Armenos solui et dari consuetis, eosdem mercancias omnium mercanciarum in predicta ciuitate Leopoliensi vendere, emere et exercere secundum opportunitatem merciarum ipsarum presentibus assecurantes et absolventes ab omnibus arrestationibus, exaccionibus et solucionibus theloneorum nostrorum regalium, prefatos Armenos nostros iure simili gaudere facientes et uti, prout eciam serenissimus dominus rex Vladislaus felicis recordij noster genitor carissimus alios Armenos eodem iure ciuili consolabatur ex gracia speciali, quam eliberacionem et absolucionem ab huiusmodi solucionibus theloneorum nostrorum ipsis donamus, damus et presentibus inscribimus graciose ad tempus vite ipsorum duntaxat. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est presentibus subappressum. Datum in Piotrkow feria quinta proxima ante festum pentecostes anno domini MCCCC quinquagesimo quinto.

Relacio magnifici Johannis de Cziszow castellani et capitanei Cracouiensi.

Aus dem Lemberger Stadtbuch 1061 arch. ant. Nr. 15.

Digitized by Google

XII.

1461. K. Kasimir's Confirmatorium des Wladislaw'schen Confirmatoriums von 1387, der Urkunde K. Wladislaw's über das Testirungsrecht und über die Contributionspflicht der Armenier von 1440.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnia, que in tempore fiunt, in tempore euanescunt, nisi amminiculo literarum et fidedignorum testimonio sufficienti fuerint perhennata. Proinde nos Kazimirus dei gracia rex Polonie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Pomeranie etc. magnus dux, Lytwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo in nostre majestatis et nostrorum consiliariorum tunc lateri nostro assidencium personaliter constituti fideles nostri dilecti Armeni literas serenissimorum principum, dominorum Wladislai videlicet genitoris et Wladislai germani regum Polonie etc. antecessorum carissimorum, sanas, saluas, integras, illesas et omni prorsus vicio et suspicione carentes obtulerunt nobis humiliter supplicantes, quatinus prefatas literas innouare, ratificare, approbare et confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor sequitur in hec uerba et est talis. Wladislaus dei gracia rex Polonie Litwanieque princeps supremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quomodo fideles nostri Armeni ad nostre maiestatis venientes presenciam (etc. sequitur priuilegium de dat. Grodek in crastino s. Luce evangeliste a. d. 1387 — nostre maiestatis sigillo presentibus subappenso). Sequitur alterius litere tenor in hec uerba. Wladislaus tercius dei gracia rex Polonie Litwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium (etc. Confirmatorium de dat. Cracouie feria quarta post dominicam Oculi a. d. 1440 Relacio magnifici Petri Woda de Sezekoczin regni Polonie vicecancellarii). Tercie vero litere tenor talis est. Wladislaus tercius dei gracia rex Polonie Litwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quomodo volentes Armenos in ciuitate nostra Leopoliensi coadunare (etc. — datum Cracouie feria secunda post dominicam Oculi a. d. 1440 Relacio magnifici Petri Odrowansch palatini Leopoliensis). Nos itaque prefatorum Armenorum peticionibus tanquam iustis, consonis et condignis annuen-

Digitized by Google

tes, eisdem literis visis, lectis, auscultatis, cognitis, ipsas de consilio consiliariorum nostrorum tanquam sanas, saluas, iustas et sufficientes in omnibus ipsarum clausulis, punctis, articulis et condicionibus approbauimus, ratificauimus, confirmauimus, approbamus, ratificamus, et confirmamus, decernentes eas perpetue firmitatis robur, vim et efficaciam obtinere tenore presencium mediante. Harum, quibus sigillum nostrum est subappensum, testimonio literarum. Actum et datum Sandomirie feria tercia fosti Pentecostes anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, presentibus ibidem reuerendo in Christo patre domino Joanne episcopo Wladislauiensi et regni Polonie cancellario, necnon magnificis et generosis Derslao de Riitwiiann Sandomiriensi, Andrea Odrowansch de Sprowa Leopoliensi palatinis, Hyneza de Rogow Sandomiriensi, Petro de Curow Lublinensi, Kmiitha de Wyssmiewa Voyniicensi castellanis, Jacobo de Dambno regni Polonie thezaurario, et Joanne de Rywanii capitaneo Sandomiriensi, aliisque pluribus consiliarijs et familiaribus nostris testibus ad premissa. Datum per manus eiusdem reuerendi domini Joannis episcopi Wladislauiensis cancellarij et venerabilis Joannis Lutconis de Brzezne decretorum doctoris, archidiaconi Gneznensis, vicecancellarij regni Polonie, sincere nobis dilectorum.

Aus K. Sigismund's Confirmat. v. J. 1509. (S. unten.)

XIII.

1461. K. Kasimir's Confirmatorium des Mandats K. Wladislaw's betreffs der armenischen Fleischbänke von 1444.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnia, que fiunt in tempore, simul cum tempore evanescunt, nisi apicibus literarum et fidedignorum testimonio sufficienti fuerint perhennata. Proinde nos Kazimirus dei gracia rex Polonie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie etc. rex, magnus dux Lytwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo nostre maiestatis et nostrorum consiliariorum tunc lateri nostro assidencium personaliter constituti famosi Armeni de Leopolim fideles nostri dilecti literas serenissimi principis domini Wladislai olim Hungarie et Polonie regis, germani et antecessoris nostri caris-

Digitized by Google

simi, sanas, saluas, illesas, integras et omni prorsus vicio et suspicione carentes obtulerunt nobis humiliter supplicantes, quatinus prefatas literas innouare, approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Quarum literarum tenor sequitur in hec verba et est talis. Wladislaus dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie etc. rex Lytwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod pro parte Armenorum advocati nostrorum (etc. sequitur privilegium de dat. Bude fer. sexta die S. Alexii sub a. d. 1444. Ad mandatum regie maiestatis Joannes Reii Sancti Michaelis prepositus). Nos itaque prefatorum Armenorum supplicacionibus tanquam iustis, consonis et condignis annuentes, ac prefate nostre ciuitatis Leopoliensis ex ipsorum Armenorum eandem immorancium et inhabitancium incrementacione meliorem condicionem proventusque nostros et daciones augere cupientes, dictis literis et munimentis ipsorum visis, lectis, auscultatis et intellectis, ipsas et iura ipsorum prefata, quod videlicet carnes quascunque in eisdem maccellis ipse aduocatus et Armeni prefati libere et sine quouis impedimento et perturbacione quorumcumque subditorum nostrorum vendant et vendere possint, approbauimus, ratificauimus, confirmauimus, approbamus, ratificamus et confirmamus, decernentes eas perpetue firmitatis robur, vim et efficaciam obtinere tenore presencium mediante. Harum, quibus sigillum nostrum est subappensum, testimonio literarum. Actum et datum Sandomirie feria quarta infra octauas festi Pentecostes anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, presentibus ibidem reuerendo in Christo patre domino Joanne episcopo Wladislauiensi et regni Polonie cancellario, ac magnificis et generosis Derslao de Riitwianij Sandomiriensi, Andrea Odrowansch de Sprowa Leopoliensi palatinis, Hyncza de Rogow Sandomiriensi, Petro de Curow Lublinensi, Dobeslao Kmytha de Vijssniiowa Voijniicensi castellanis, Jacobo de Dambno regni Polonie vicethezaurario, et Joanne de Riitwanij capitaneo Sandomiriensi, et aliis quam pluribus consiliariis et familiarijs nostris testibus ad premissa. Datum per manus prefati reuerendi patris domini Joannis episcopi Wladislauiensis cancellarij ac venerabilis Joannis Ludconis de Brzeziie vtriusque iuris doctoris, archidiaconi Gneznensis, vicecancellarij regni Polonie, sincere nobis dilectorum.

Aus Sigismund's Confirmat. v. J. 1509. (S. unten.)

Digitized by Google

XIV.

1462. K. Kasimir's Privilegium in Betreff des Gerichtsstandes der Armenier.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnium rerum gesta vetustate temporis euaneseunt, nisi apicibus literarum et testimonio fidedignorum sufficienti fuerint perhennata. Proinde nos Kazimirus dei gratia Poloniæ, Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Pomeraniæ rex, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ Prussiæque dominus et hæres etc. significamus etc. quomodo in nostræ maiestatis et nostrorum consiliariorum tunc lateri nostro assidentium præsentia constitutus personaliter famosus Cristinus aduocatus Armenorum ciuitatis nostræ Leopoliensis, fidelis noster dilectus, literas seu privilegia serenissimorum olim principum regum Poloniæ prædecessorum nostrorum donationem ac concessionem iurium ipsis Armenis gratiose elargitis in se continentia, per nos quoque ratificata, obtulit et præsentauit, quorum tenorem volumus hic habere pro expressis, suaque deduxit in naratione, quomodo in derogationem præiudiciumque et vilipendium huiusmodi iurium, privilegiorum et immunitatum sic, ut præmittitur, ipsis concessorum multis in ipsa ciuitate et aliis locis grauantur et opprimuntur iniuriis, molestiis et oppressionibus, nobis proinde supplicando humiliter, quatenus ipsum aduocatum cum præfatis Armenis pro tempore ipsam ciuitatem Leopoliensem immorantibus iuri ciuili seu Theutonico Maidemburgensi annecteremus, appropriaremus et incorporaremus. Actum (?) nos viso, lecto et intellecto in medio consilij nostri iure ipsorum Armenorum tanquam efficaci, firmoque, solenni et salubri, huiusmodi incorporationem in dictum ius Theutonicum ipsis dare recusantes, ac cupientes ipsorum statum in meliorem deducere conditionem et incrementationem, ut tanto melius et habundantius de nostris prouentibus nobis ac successoribus nostris valeant respondere, dictum Christinum cum quibusuis Armenis prædictam ciuitatem Leopoliensem habitantibus circa præfata iura et priuilegia et immunitates per prædecessores nostros præfatos concessa et donata, dictorum consiliariorum nostrorum voluntate ad id accedente, conseruauimus et conseruamus, ac eadem in suis punctis, clausulis et conditionibus approbamus, ratificamus et conseruamus, decernentes ea robur habere firmitatis perpetue præsentium

Digitized by Google

per tenorem. Eximimus et liberamus ipsos aduocatum et Armenos ab omni iurisditione et potestate omnium regni nostri dignitariorum cæterorumque iudicum, subiudicum, capitanei, nec non dictæ ciuitatis nostræ Leopoliensis aduocati, consulum, et quorumuis officialium eorundem iuris Theutonici, vt coram ipsis aut aliquo ipsorum pro causis tam paruis quam magnis et quibusuis excessibus citati minime respondebunt aut aliquas poenas soluere tenebuntur. Verum tamen ipsi Armeni coram aduocato ac ipsius successoribus, aduocatus vero aut ipsius successores non aliter quam in præfato iure suo Armenico de se quærulantibus ibidem respondere tenebuntur, hoc adiecto, quod omnes et singuli Armeni præfati in fide Armenorum viventes, quorum multi de suo iure Armenico in ius Theutonicum se transtulerunt eo, quod potiantur et fruantur iure, ita scilicet, quod, dum et quotiens ipsi Armeni per nos tanquam nostri subditi pro aliquibus dacionibus siue solutionibus requirantur, omnes unaninimiter iuxta vniuscunque exigentiam pro eisdem solutionibus aut dationibus ipsis per nos impositis contribuant et componant. Vobis igitur supradictis et signanter aduocato, præconsulibus, consulibus et vniuersis ciuibus et incolis Leopoliensibus ciuitatem immorantibus iuris Theutonici præfati mandamus seriose, omnino habere volentes, quatenus cum dictis Armenis pro quibuscunque iniuriis, rebus et causis, pro quibus vobis aut alicui vestrum existant culpabiles, duntaxat apud ipsorum aduocatum pro tempore existentem in ipso iure ipsorum Armenico iusticiæ complementum vobis et cuilibet vestrum ministrari et fieri requiratis et exposcatis, sine omni perturbatione, molestatione eorundem et impedimento, et aliter facere non sint ausuri sub graui nostra indignatione. Harum, quibus sigillum nostrum præsentibus est subappensum, testimonio literarum. Actum et datum in conuentione Piotrkouiensi generali feria tercia ipso die sancti Clementis anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, præsentibus ibidem reuerendis in Christo patribus dominis Joanne dei gratia sanctæ ecclesiæ Gnesnensis archiepiscopo et primate, Andrea episcopo Posnaniense, ac magnificis et generosis dominis Luca de Gorka Posnaniense, Stanislao de Ostrorog Calissiense, Sandiuogio de Lanzenicze Siradiense, Petro de Oporow Lanciciense, Nicolao de Coscieliecze Brzestensi, Joanne de Coscieliecz Junowladislauiensi, Andrea Odrowasz de Sprowa Leopoliensi palatinis, Petro de Schamotuly Posnaniense, Hincza de Rogow Sandomiriense, Petro de Gaij Calissiense, Joanne Zaremba Siradiense, Joanne de Czarnkow Gneznensi, Andrea de Kretkow Bre-

Digitized by Google

stensi, Dobeslao Kmitha de Visnicze Voinicense, Eustachio de Sprowa Radomiense castellanis, Jacobo de Dambno thesaurario, Joanne de Rytwiany mareschalco regni Poloniæ, et aliis pluribus fide dignis circa præmissa. Datum per manus reuerendi patris domini Joannis episcopi Wladislauiensis, regni Poloniæ cancellarij, ac venerabilis Joannis Luthkonis de Brzesie, vtriusque iuris doctoris, archidiaconi Gnesnensis, vicecancellarij regni Poloniæ, sincere nobis dilectorum. Ad relationem eiusdem reuerendi in Christo patris domini Joannis episcopi Wladislauiensis, regni Poloniæ cancellarij.

Aus K. Sigismund's III. Transsumt aus den Acten der königlichen Kanzlei de dat. Varsauiae in Comitiis Regni Generalibus die XII. m. Januarii a. d. 1591, gefertigt vom obersten Kanzler etc. Johannes Zamoiski und gesiegelt; Papierurkunde im Lemberger Stadtarchive Fasc. 396. Der Inhalt dieser Urkunde lässt dieselbe als unecht erscheinen. S. meine Abhandlung über das alte Recht der Armenier in Lemberg, in den österr. Blättern für Literatur und Kunst 1837. S. 218.

XV.

1462. K. Kasimir's Confirmation und Erweiterung der Handelsfreiheiten der Armenier.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Gesta humanorum actorum faciliter depereunt, nisi amminiculis litterarum et fidedignorum testimonio sufficienti fuerint perhennata. Proinde nos Cazimirus dei gratia rex Polonie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuianie, Pomeranie, magnus dux Lithuanie, Russie Prussieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo in nostre maiestatis et nostrorum consiliariorum tunc nobis assidencium presencia constitutus personaliter famosus Cristinus advocatus Armenorum ciuitatis nostre Leopoliensis literam serenissimi domini Wladislai regis Polonie, genitoris et predecessoris nostri charissimi, admissionem et concessionem negociaciones exercendi ipsis Armenis factam in se continentem, obtulit et presentauit nobis humiliter supplicando, ut ipsam ratificare, approbare et confirmare dignaremur. Cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis. Wladislaus dei gratia etc. (sequitur privilegium de dat. Lamburga fer. tercia prox. ante fest. s. Francisci confess. a. d. 1402). Nos itaque supplicacionibus pro ipsis aduocato et Armenis nobis humiliter porrectis tanquam iustis et consonis annuentes,

Digitized by Google

huiusmodi literam ratam atque gratam habentes, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis et condicionibus, dictorum consiliariorum nostrorum voluntate ad id accedente, approbauimus, ratificauimus, confirmauimus, approbamusque, ratificamus et confirmamus perpetuo per presentes, ac de nostra regia benignitate cupientes ipsorum Armenorum condicionem facere meliorem, vt tanto commodosius de nostris prouentibus nobis et nostris successoribus valeant respondere, concedimus et presentibus admittimus, vt merces, res et bona ipsorum vniuersa tam de transmarinis quam de alijs quibuscumque partibus per eosdem conducta talento, libra, alias(?) lothem et vlna, sic ut premittitur, more aliorum regnicolarum nostrorum in omnibus ciuitatibus, oppidis et locis quibuscunque regni et dominiorum nostrorum vendere, propinare et mensurare iuxta consuetudinem antiquam habeant libertatem. Vobis igitur palatinis, castellanis, capitaneis, tenutarijs, magistris ciuium, ceterisque officialibus mandamus seriose, omnino habere volentes, quatenus prefatos Armenos ad huiusmodi mercium et bonorum eorundem vendicionem, propinacionem, negociaciones quoque exercendi liberas admittatis et admitti faciatis et debeatis, ac ipsos ab infestacione, turbacione et molestacione quorumlibet hominum, cuiuscunque status aut condicionis sint, tueamini et protegatis, et aliter non facturi pro gracia nostra. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est subappensum, testimonio litterarum. Actum et datum in conuentione Piotrkouiensi generali feria tercia ipso die sancti Clementis anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, presentibus ibidem reuerendissimo et reuerendis dominis Joanne sancte ecclesie Gneznensis archiepiscopo et primate, Andrea episcopo Poznaniensi, ac magnificis et generosis Luca de Gorka Poznaniensi, Stanislao de Ostrorog Calissiensi, Sandiuogio de Lanszenijcze Siradiensi, Petro de Opporow Lanciciensi, Nicolao de Coszielecz Brestensi, Andrea Odrowasz de Sprowa Leopoliensi palatinis, Petro de Schamotuli Poznaniensi, Hincza de Rogow Sandomiriensi, Petro de Gaij Calissiensi, Joanne Zaramba de Calinowa Siradiensi, Joanne de Czarnkow Gneznensi, Andrea de Czethkow Brestensi, Dobeslao Cmitha de Wijsznijcze Woijnijcensi, Eustachio de Sprowa Radomiensi castellanis, Jacobo de Dambno vicethesaurario, et Joanne de Rithwianij marschalko regni Polonie, et aliis pluribus fidedignis testibus circa premissa. Datum per manus reuerendi patris Joannis dei gracia episcopi Wladislauiensi et cancellarij, ac Joannis Lutheonis de Brzezie, iuris vtriusque doctoris, archidiaconi Gneznensis, vicecancellarij regni Polonie, sincere nobis dilectorum. Ad rela-

Digitized by Google

cionem eiusdem reuerendi patris domini Joannis dei gracia episcopi Wladislauiensis et regni Polonie cancellarij.

Aus Sigismund's Confirmat. v. J. 1519. (S. unten.)

XVI.

1486. K. Kasimir's Prorogation seines Decretes von 1476 und Verleihung der Weinhandlungsbefugniss.

Kazimirus etc.

Significamus etc. vniuersis, quomodo, quemadmodum superiori tempore prouidis Armenis Leopoliensibus etc. literas decreti nostri inter eos vna et famatos proconsulem et consules ciuitatis eiusdem ex altera partibus factas super certis articulis, prærogatiuis et concessionibus in his ipsis literis contentis, de data in Bels feria sexta proxima ante festum sanctorum Simonis et Judæ apostolorum anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, dedimus a data eadem ad nostrum aduentum in has terras ex tunc proximum valituras, iam hactenus terras ipsas ingredientes, intelligentes literas prædictas, nisi eis nouum adiceretur, minime duraturas, et quoniam cum supplici eorundem Armenorum petitione inclinati prætactarum literarum nostrarum eisdem tum Armenis datarum robur et firmitatem iterum hinc ad alium vsque nostrum in terras istas felicem aduentum proximum prorogandam duximus prorogamusque præsentibus, easdem in toto earum tenore ratificantes et gratificantes ratificauimus ratificamusque et ratificamus tenore præsentium mediante, decernentes eas in omnibus punctis, articulis, clausulis ad terminum prædictum valituras. Praeterea volentes Armenos ipsos ciuitatem ipsam incolentes sub nostris conseruare fauoribus specialibusque permanere prærogatiuis regiis, propter multiplicandum in ciuitate ipsa incolatum eorum, vt auctis in eos concessionibus etiam proventus nostri per eos reddi soliti augmentari possint, in futurum admisimus et indulsimus admittimusque et indulgemus his ipsis Armenis nostris omnibus et cuilibet eorum in ipsa ciuitate pro vsu necessitateque hominum vinum Malmaticum et vina cuiuslibet generis vndecunque Leopolim adducta et adducenda Leopoli propinanda libere, sine qualibet cuiuslibet subditorum nostrorum impetitione et impedimento. Quo circa vobis proconsuli et consulibus Leopoliensibus et aliis subditis nostris, cuiuscunque status et conditionis fuerint, præsentibus

Digitized by Google

requirentes mandamus, quatenus Armenos eosdem in ipsius Malmatici et vinorum propinatione unquam non impetatis hinc usque ad terminum præscriptum, aliter non facturi pro gratia nostra. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum Leopoli feria tertia post undecim milia virginum anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto. Relatio venerabilis Alberti de Zychlijn r. P. vicecancellarij.

Aus einem Transsumt K. Sigismund's III. aus den königlichen Kanzleiacten de dat. Varsaviae in Comitiis Regni Generalibus die XII. mensis Januarii a. d. MDXC primo, im Lemberger Stadtarchiv Fasc. 396. Das hier prorogirte Decret, so wie ein damit im Zusammenhange stehendes vom J. 1469 findet sich in polnischer Sprache in dem oben erwähnten Bielowskischen Codex. S. österr. Blätter für Literatur Jahrg. 1837. S. 218.

XVII.

1494. K. Johann Albert gestattet die Schenkung des „armenischen Bades" an die Lemberger Metropolitankirche.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Consuetudine celebri velud sanccione communi (?) approbatum existit, vt actus regij perpetue concessionis vim habituri literarum apicibus et sigillorum appensione autenticorum perhennentur posterorumque memorie commendentur. Proinde nos Johannes Albertus dei gracia rex Polonie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Cuyawye, Lancicie, supremus dux Litwanie, Russie, Prussie ac Culmensis, Elbingensis Pomeranieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris harum noticiam habituris, quomodo considerantes generose Elizabeth de Podossye, generosi olim Georgij Strumylo de Drmossyn (?) castellani Leopoliensis relicte, pie deuocionis ardorem et affectum, ad cultum diuinum augendum sibi de certa sciencia deliberacioneque nostra balneum Armenorum in suburbio ciuitatis Leopoliensis foris muros ciuitatis retro ecclesiam beatissime virginis Marie situm cum domibus, ortis et areis ad balneum illud ex antiquo pertinentibus, simul cum balneo ipso teneri et haberi solitis, emendi, atque illud cum eisdem domibus et ortis pro beneficio seu beneficijs ecclesiasticis in ecclesia metropolitana Leopoliensi eiusdem beatissime virginis Marie auctoritate ordinaria erigendis dandi, donandi et incorporandi concessimus et admisimus, concedimusque et admittimus, presentibus decernentes balneum, domos, ortos et areas predictas iuxta

Digitized by Google

vim donacionis priuilegij balnei predicti per presbiterum vel presbiteros, quibus ipsa Elizabeth per se aut per executores testamenti sui legittimos balneum, domos, ortos et areas predictas donandum duxerit, tenendum, habendum, possidendum et vtifruendum pacifice in ewm, admittentes balneum, domos, ortos et areas predictas iuri, libertati, iurisdictioni et immunitati ecclesiasticis annecti, adiungi et inviscerari, sic quod pro repeticione censuum et prowentuum ex eo ipso balneo, domibus, ortis et areis proveniencium ad forum iudicij spiritualis ordinarij recursus habeatur in futurum eviterne, saluis tamen (?) censibus nostris consuetis ex eodem balneo, domibus, ortis et areis nobis seu alias pro castro nostro Leopoliensi anuatim solui solitis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est presentibus subappensum. Actum Cracouie fferia sexta post festum sacratissimi corporis Christi anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, regni vero nostri anno secundo, presentibus ibidem illustrissimo principe, reuerendissimisque in Christo patribus dominis Frederigo dominica miseracione tituli Sante Lucie in Septem Solijs presbytero cardinali, archiepiscopo Gneznensi, episcopo Cracouiensi, et Andreawza archiepiscopo Leopoliensi, ac magnificis, venerabilibus et generosis Johanne Amoz de Tharnow castellano, Spithkone de Jaroslaw Cracoviensi, Dobeslao de Curozwanky Lublinensi pallatinis, Nicolao de Curozwanky Siradiensi, Ambrosio Pampowsky Rosperiensi, et Johanne de Przythyl Zarnouiensi castellanis, Creslao Gneznensi et Cracouie decano ecclesiarum cancellario, Petro thezaurario et capitaneo generali Cracouiensi de Curozwanki, Petro Kmitha de Wyssnicze marsalco, Gregorio de Ludbranez preposito Scarbimiriensi, viceecancellario regni nostri, alijsque quampluribus consiliarijs et curiensibus nostris ad premissa testibus sincere devote et fidelibus dilectis. Datum per manus eiusdem venerabilis Creslaj de Curozwanky, regni nostri cancellarij sincere nobis dilecti.

Creslaus cancellarius sst.

Relacio prefati venerabilis Creslai de Curozwanky, regni Polonie cancellarij.

Pergamenturkunde mit Siegel an rothweisser Seidenschnur, im Lemberger Stadtarchiv Fasc. 396.

Digitized by Google

XVIII.

1497. K. Johann Albert beurkundet den Verkauf des „armenischen Bades".

Johannes Albertus dei gratia rex Polonie, suppremus dux Lithwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis et singulis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo in nostra et nostrorum consiliariorum protunc nobis assistencium presencia constitutus personaliter famosus Johannes Kossnar ciuis Leopoliensis, sanus mente et corpore, non compulsus, non coactus, nec aliquo errore seductus, sed sponte et libere, maturaque intra se deliberacione prehabita, recognouit, quia balneum suum wlgariter Armenicum nuncupatum, in suburbio ciuitatis Leopoliensis foris muros ciuitatis retro ecclesiam beatissime virginis Marie situm, cum domibus, ortis et areis ad hoc ipsum balneum spectantibus generose Elizabeth de Podossne, relicte olim Georgij Strumulo castellani Leopoliensis, pro septingentis florenis Hungaricalibus puri auri veri et iusti ponderis vendidit et ritte racionabiliterque resignauit, venditque et resignat per presentes, per ipsam Elizabeth Strumlova eiusque legittimos successores balneum prefatum cum omni iure, dominio et proprietate, necnon domibus, areis, ortis, iuribus, prouentibus, obuencionibus, solucionibus, ac vniuersis attinencijs ad prefatum balneum quomodolibet spectantibus, alias ita, prout solus tenuit, habuit et possedit, nichil iuris dominij et proprietate sibi suisque successoribus in eisdem penitus reseruans, tenendum, habendum, possidendum, utifruendum, pacificeque et quiete (temporibus) perpetuis temporibus optinendum, dandum, donandum, vendendum, comutandum, alienandum et, prout sibi suisque successoribus legitimis videbitur expedire, conuertendum. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est subappensum, testimonio litterarum. Datum Leopoli feria quinta in vigilia concepcionis beatissime Marie virginis anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, regni vero nostri anno sexto.

Idem ipse Vincencius vicecancellarius sst.

Relacio venerabilis Vincentij de Przeramb r. P. vicecancellarii.

Pergament mit rothem Wachssiegel an rother und blauer Seidenschnur im Lemberger Stadtarchiv Fasc. 396.

Digitized by Google

XIX.

1502. K. Alexander überlässt Fischteiche an zwei Armenier.

Alexander dei gratia etc.

Significamus . . ., quia, attendentes fidelitatem et industriam famosorum Christopheri et Thomae germanorum Armenorum de Leopoli fidelium nostrorum, ipsis piscinas nostras superiorem et inferiorem vna cum stagno seu lacu alias Jeziorem, quod seu qui est inter easdem piscinas in bonis nostris Czyrzeez (?) in capitaneatu Leopoliensi sitis, alias earum demissionem in proximo futuram pro vna uice continuo pro quadringentis marcis monetae et numeri Polonicalium, quadraginta octo grossos marcam in quamlibet computando, arendavimus et vendidimus arendamusque et vendimus sub conditionibus infrascriptis, sic quia ipsi libertatibus et prærogatiuis in demissione piscinarum earundem gaudere et vti debeant, quibus caeteri mercatores, cum nostras piscinas in terris Russiae arendant, vti et gaudere consueuerunt, piscationemque seu pransuram alias demissionem piscinarum et stagni predictorum incipient veris tempore a proxime venturo per annum, alias duobus septimanis post festum assumptionis gloriosissimae virginis Mariæ anni domini millesimi quingentesimi tertii, continuabuntque pransuram, prout moris est, vsque ad festum pentecosten ex tunc immediate futurum, prout in eo consuetudines esse non dubitamus in terris Russie conseruatae. In qua demissione et pransura piscium tueri et deffendere eos debebimus a violentiis, impedimentis, ex quibus verisimiliter iacturam perpessuri essent, et si casu quopiam violento piscinae, non eorum culpa aut negligentia, rumperentur, vnde ac etiam occasione non deffensionis nostrae ipsi Christopherus et Thomas in demissione piscium damnum manifestum perciperent, illud eis ad solutionem dictae summae quadringentarum marcarum defalcaturi sumus et indemnes perinde efficere debebimus. In quibus piscinis et stagno nos et capitaneus noster modernus et pro tempore existens Leopoliensis piscari non debebimus non debebuntque, et per alios in eis piscari prohibebimus prohibebuntque hinc ad vsque finem piscationis per ipsos Christophorum et Thomam facientem. Quemadmodum vero consuetudo nobiscum in his approbata fertur esse, dum regiae maiestatis arendantur piscinae, sic nos volumus, vt, dum pisces ex eisdem piscinis ipse Christopherus aut sui successores mercatum duxerint vendiderintque, neque foralia neque thelonea daturi ab

Digitized by Google

ipsis erant, prout eam libertatem arendatores piscinarum nostrarum habere consueuerunt. Insuper cugurgia alias Budij et fina ipsis ad demissionem piscinarum earundem, prout moris est, dari mandabimus, modosque, conditiones et consuetudines in arendis et demissionibus huiusmodi in terris Russie seruari solitos atque solitas obseruaturi impleturique sumus mutuo. Cuius quidem arendae solutionem nobis impendere debebunt tunc, cum piscinas et stagnum prædictum piscabuntur, aut nobis soluendo aut alijs, quibus mandauerimus, dictas quadringentas marcas extradendo. Eosdem Armenos pro damnis maiestatem olim paternam regiam Valahiam sequendo perpessis defalcamus, sicque pro damnis illis solutos eos facimus, residuum tandem, videlicet trecentas, ordine suprascripto nobis debebunt atque soluent. Harum quibus etc. Datum Cracouiae feria quarta festi Sanctorum Fabiani et Sebastiani anno domini millesimo quingentesimo secundo. Relatio reuerendi in Christo patris domini Crestai episcopi Wladislauiensis r. P. cancellarij.

Aus einem Transsumt K. Sigismund's III. v. J. 1591, 15. Jänner, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XX.

1503. K. Alexander schenkt einem Armenier ein Ringhaus.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Consueuit principum auctoritas quæuis decreta sua literarum apicibus sigillorumque munitione et testium annotatione perhennatas efficere. Quapropter nos Alexander dei gratia rex Poloniæ necnon terrarum etc. significamus etc. quia, attentis fidelibus seruitijs nobilis Iwaszko Armeni cubicularij et interprætis nostri, quæ nobis prædecessoribusque nostris ac reipublicæ regni nostri ad nostra et prædecessorum nostrorum mandata in Turciam et Tartariam itinera multotiens obeundo non absque fatigis maximis et vitæ suæ periculo exhibuit fideliter et diligenter, volentes eum proinde consolatum efficere ad aliaque seruitia nostra et reipublicæ reddere promptiorem, sibi et successoribus suis domum certam in ciuitate Leopoliense sitam, quam possidet prouidus Nicolaus Kozenko in circulo inter domos prouidorum Petri Wlosathy et Romanon, in quantum ad nos iuste et legitime deuoluta esset, dedimus et donauimus, damusque et donamus perpetuo, tenore præsentium mediante, per ipsum Iwaszkonem et suos legitimos successores domum prædictam, in quantum,

Digitized by Google

ut suprascribimus, ad nostram deuoluetur dispositionem, ita late, longe, et circumferentialiter, prout in suo situ est distincta et limitata, et prout dictus Kozenko eam possidet, cum omni iure, dominio et proprietate tenendam, habendam, vtifruendam, possidendam, dandam, donandam, alienandam, vendendam, commutandam, prout ipsi Iwaskoni et suis legitimis successoribus melius et vtilius videbitur, convertendam perpetuo et in ævum, iuribus tamen nostris et cuiuslibet iusticia saluis. In cuius rei testimonium signetum nostrum etc. Actum Vilnæ feria sexta Mathiæ apostoli anno millesimo quingentesimo tercio, regni nostri secundo, præsentibus ibidem generosis, venerabili et nobilibus Joanne Poleak de Czarnkow castellano Gneznensi, Joanne Rapschtinski de Tanczyn curiæ nostræ marssalko et capitaneo Sandomiriensi, Joanne de Lasko decano Wladislauiensi cancellario Gneznensi et canonico Cracouiensi ecclesiarum, supremo secretario nostro, Nicolao Fierleij de Dambrouicza vexilifero Cracouiensi et capitaneo Lublinensi, Andrea de Tanczyn curiensi nostro, Joanne Hynek de Vnyenye succamerario Lancicensi, cæterisque dignitariis, baronibus et curiensibus nostris fideliter dilectis circa præmissa existentibus. Datum per manus venerabilis Joannis de Lasko supremi secretarij nostri syncere denote nobis dilecti. Relatio eiusdem Joannis de Lasko etc.

Aus einem Transsumt K. Sigis mund's III. aus den königlichen Kanzleiacten de dato Varschouiae in Comitiis Regni generalibus die vndecima Januarij a. d. MDXCI° Regni nostri iij° mit der Unterschrift des Kanzlers Joan. Zamoiski und dem Reichssiegel; im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XXI.

1505. K. Alexander's Befreiung der Armenier vom Zoll.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Interest regum et quorumuis principum siue imperium siue dominatum polliciarum atque potenta . . . gerencium inter subditos quacumque felicitate subiectos et sibi fideles conficere, vt, sicut ad omnia mandata principum obedientes et debito parificati essent, sic libertatibus et prerogatiuis gauderent invicem (?) communibus, pro quarum vnitate adequacioneque quicquid ipsa maiestas regia decernit pro tempore, literis autenticis ad perhennem rei geste memoriam communire consuenit. Proinde nos Alexander dei gracia rex Polonie, magnus dux

Digitized by Google

Lytwanie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyauie, Russie, Prussie, ac Culmensis, Elbingensis, Pomeranieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quia certo informati existentes, quod, licet vniuersi Armeni nostri inhabitantes Leopolim civitatem nostram singula onera ciuilia equaliter et vnanimiter cum ciuibus catholicis et aliis incolis Leopoliensibus ferre consueuerunt communiter census, exactiones, contribuciones et quaslibet alias soluciones pro reipublice et civitatis ipsius necessitate pro tempore inuenientes (?) soluentes. licet quoque tam ipsi Christiani ciues quam alii eiusdem civitatis incole de quacumque religione et ritu existentes, videlicet Ruteni et Judei, ab omnibus mercibus, quas ex aliunde inibi adducerent, theloneum, quod ibidem exigitur, non soluant, tamen, cum nihilominus prefati Armeni nostri vltra ea ipsa communia onera a mercibus suis cuiusuis generis et maneriei existentibus, quas de exteris partibus, videlicet ex Valachia, Turcia, Vngaria, Mosskouia, Tartaria, Slesia, Lytwania, aliisque externis regionibus Leopolim adducunt, que valorem et summam triginta sexagenarum excederent, hocipsum teloneum nostrum Leopoliense hactenus soluerent, a qua solucione ceteri incole ciuitatis ipsius immunes et liberi essent, quod proculdubio in vno ipso incolatu ab equitate et iusticia communi censemus fuisse alienum, itcirco eos ipsos Armenos sicut communia onera soluere consuerunt cum ceteris incolis, sic eos libertatibus ciuilibus adequare in equitate quam et iusticia communi ciuitatis illius nostre conseruare cupientes, de speciali gracia et sciencia regiis nostris de consilioque et consensu consiliariorum nostrorum ipsos vniuersos Armenos nostros ciuitatem Leopoliensem pro tempore incolentes ab huiusmodi telonei solucione, quod hactenus ab omnibus mercibus et rebus venalibus vndecunque Leopolim lucri gracia more mercatorio adductis et valorem triginta sexagenarum excedentibus ibidem in loco et ciuitate Leopoliensi soluere consueuerant, sub condicione infrascripta absolvendos, liberandos et eximendos duximus, absoluimusque, liberamus et eximimus tenore presencium mediante in perpetuum, ita tamen quod prefati vniuersi Armeni nostri Leopolim pro tempore inhabitantes nobis et successoribus nostris regibus Polonie singulis annis pro festo sacri Pasche ratione huiusmodi libertatis a teloneis prefatis eis donate et graciose concesse duodecim sexagenas pecuniarum numeri et monete Polonicalium vltra decemocto sexagenas, quas ex priuilegio antiquo

Digitized by Google

soluere consueuerunt, simul cum predictis decemocto sexagenis, que vtraque summa in vnam collecta summam facit triginta sexagenarum numeri et monete communiter currencium, dabunt ac tenebuntur impendere ac soluere. Exnunc vero et deinceps huiusmodi tocius telonei solucionem Leopoli a quibusuis mercibus sic, vti supra scriptum est, non impendent, tenore presencium mediante in ewm. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in conuencione generali Sandomiriensi feria tercia infra octauas ascensionis domini anno eiusdem millesimo quingentesimo quinto, regni nostri quarto, presentibus reuerendissimo et reuerendis in Christo patribus dominis Andrea archiepiscopo Gneznensi et primate, Bernardino Vilczek electo Leopoliensi, Joanne Cracouiensi, Vincencio Wladislauiensi, Joanne Poznaniensi, et Luca Warmiensi ecclesiarum episcopis, necnon magnificis, venerabilibus et generosis Spithkone de Jarosslaw castellano Cracouiensi, Joanne de Tarnow Sandomiriensi, Nicolao Gardzijna de Ludbranez Calissiensi, Petro Mysskowsky de Mykow Lancicíensi, Nicolao de Curoznaky Lublinensi, Nicolao de Coszyelecz Brestensi, Nicolao de Crethkow Juniwladislauiensi, Prandota de Trczana Rawensi, et Joanne de Tarnow Russie palatinis, Joanne Jarand de Brudzow Calissiensi, Joanne de Przeramb Siradiensi, Janussio Latalsky Gneznensi, Joanne Slupeczky Sandecensi, Jacobo de Syekluka Voynycensi, Petro Saffranyecz de Pyesskowaskala Visliciensi, Joanne Jordan de Zaklyczin Byeczensi, Stanislao de Mlodczouicze Radomiensi, Martino de Boguria Zauichostensi, Nicolao de Radzikowy Dobrinensi, Stanislao de Potulicze Myedzyrzecensi, Petro de Oppalenycza Landensi, Petro Gorsky Naklensi, Andrea de Opporow Crossniciensi, Mathia de Gostyn Srzemensi, Nicolao Kamblan de Skoraczow Krzuwynensi, Nicolao de Cuthno Gostinensi, et Stanislao de Srzensko Vysnensi castellanis, Joanne de Lassko Gneznensis ecclesie et regni nostri cancellario, Jacobo de Sydlowyecz thesaurario regni eiusdem nostri, Nicolao de Dambrouicza vexilifero Cracouiensi et capitaneo Lublinensi, Alberto Skora de Gay Dobrinensi, Stanislao de Cazanow Lublinensi, et Saffranyecz de Pyesskowaskala curie nostre succamerariis, et aliis quam plurimis consiliarijs et curiensibus sincere et fidelibus dilectis ad premissa testibus fidedignis. Datum per manus eiusdem venerabilis Joannis de Lassko ecclesie Gneznensis et regni nostri cancellarij sincere nobis dilecti. Joannes de Lassko qui supra cancellarius est.

Aus K. Sigismund's Confirmat. v. J. 1509. (S. dieses.)

Digitized by Google

XXII.

1509. K. Sigismund's Confirmatorium der beiden oben mitgetheilten Confirmationsurkunden K. Kasimir's von 1461 und des Zollprivilegiums K. Alexander's von 1505.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Acta presentis temporis solent deperire, nisi scripture presidio et testium amminiculo ad memoriam futurorum sempiternam fuerint roborata. Proinde nos Sigismundus dei gracia rex Polonie, magnus dux Lytwanie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Russie, Prussie, Culmensis, Elbingensis, Pomeranieque dominus et heres etc significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris harum noticiam habituris, quia constituti personaliter coram nobis et consiliarijs nostris Armeni nostri Leopolienses, exhibitis originaliter priuilegiis infrascriptis super libertatibus certis per diuos olim predecessores nostros reges Polonie eis concessis, supplicarunt nobis humiliter, quatinus hec ipsa priuilegia ipsis ratificare, approbare et confirmare, eosque in huiusmodi libertatibus conseruare dignaremur. Quorum quidem priuilegiorum tenores successiue sequuntur. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnia, que in tempore fiunt, in tempore euanescunt, nisi amminiculo literarum et fidedignorum testimonio sufficienti fuerint perhennata. Proinde nos Kazimirus dei gracia rex Polonie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Pomeranie etc. magnus dux Lytwanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium (sequitur privileg. confirmator. de dat. Sandomirie feria tercia festi Pentecostes a. d. 1461 — sincere nobis dilectorum). In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnia, que fiunt in tempore, simul cum tempore euanescunt, nisi apicibus literarum et fidedignorum testimonio sufficienti fuerint perhennata. Proinde nos Kazimirus dei gracia Polonie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie etc. rex, magnus dux Litwanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo nostre maiestatis et nostrorum consiliariorum tunc lateri nostro assidencium personaliter constituti famosi Armeni de Leopolim fideles nostri dilecti (etc. confir-

Digitized by Google

matorium de dat. Sandomirie feria quarta infra octauas festi Pentecostes a. d. 1461 presentibus ibidem etc. — sincere nobis dilectorum). In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Interest regum et quorumuis principum siue imperium siue dominatum polliciarum atque potentatum (?) gerencium etc. Proinde nos Alexander (sequitur priuilegium actum in conuentione generali Sandomirieusi feria tercia infra octauas ascensionis domini anno eiusdem 1505. regni vero nostri quarto, presentibus — sincere nobis dilectis. Joannes de Lassko qui supra subscripsit). Nos itaque Sigismundus rex, habentes racionem fidelitatis Armenorum predictorum considerantesque preinserta priuilegia ipsorum fore nisa, illa in ómnibus eorúm tenoribus, punctis, clausulis, articulis et condicionibus de certa sciencia et singulari gracia regiis nostris ac de consilio consiliariorum nostrorum approbanda, ratificanda et confirmanda duximus, ac eos in libertate theloneorum Leopoli non solnendorum, quemadmodum per diwm Alexandrum regem sunt ab eo liberati atque exempti, conseruandos duximus, ratificamusque, approbamus, confirmamus et conseruamus presentibus literis nostris in ewm, decernentesque illa libertatesque in eis contentas robur perpetue firmitatis obtinere, tenore presencium mediante. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum Pyotrkouie in conuencione generali feria quinta proxima post festa sacri pasche anno domini millesimo quingentesimo nono, regni vero nostri anno tercio, presentibus reuerendissimo et reuerendis in Cristo patribus dominis Andrea archiepiscopo Gneznensi et primate, Vincencio Wladislauiensi, Joanne Poznauiensi, Luca Warmiensi, Erasmo Plocensi, Mathia Premisliensi et vicecancellario regni nostri ecclesiarum episcopis, necnon magnificis, venerabilibus et generosis Spithkone de Jaroslaw castellano Cracouiensi, Nicolao de Camijeniiecz Cracouiensi, Nicolao Gardzyna de Lubranez Calissiensi, Ambrosio de Pampow Siradiensi, Nicolao Firleij de Dambrowijcza Lublinensi, Otta de Chodecz Podolie, et Prandota de Trezana Rawensi palatinis, Jacobo de Sydlowijecz Sandomiriensi et regni nostri thezaurario, Joanne Jarandi de Brudzow Calissiensi, Jacobo de Oyekluky Woynyciensi castellanis, Joanne de Lassko coadintore Gneznensi et cancellario, Stanislao de Chodecz marschalco regni nostri Leopoliensi et Camenecensi capitaneo, Christophero de Sydlowyecz succamerario Cracouiensi et Siradiensi capitaneo, Stanislao Jarosski curie nostre marschalco, Joanne Latalsky Gneznensi et Cracouiensi preposito, Joanne Podlodowsky scolastico

Digitized by Google

Sandomiriensi et canonico, Petro Thomycky archidiacono Cracouiensi, et Stanislao Goreczky preposito Calissiensi ecclesiarum, secretariis nostris, aliisque quampluribus consiliariis et curiensibus nostris fidedignis ad premissa testibus sincere et fidelibus dilectis. Datum per manus prefati reuerendi patris domini Joannis de Lassko coadiutoris Gneznensis et regni nostri cancellarii sincere nobis dilecti.

† Johannes de Lassko qui supra co. G. et cancell. subst.

Grosse Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Das Siegel ist nicht mehr daran.

XXIII.

1510. K. Sigismund's Decret über den Gerichtsstand der Armenier und ihr Verhältniss zum Consularamte.

In nomine domini amen. In perpetuam rei memoriam. Maiores nostri, qui huius incliti regni monarchiam cum sua semper laude gubernauere, ea omnia, que pro optimo cuiuslibet reipublice statu aut decreuerunt aut statuerunt, litterarum monimentis sempiterne memorie mandare consueuerunt. Proinde nos Sigismundus dei gracia rex Polonie, magnus dux Lituanie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiiauie, Russie, Prussie, Culmensis, Elbingensis, Pomeranieque dominus et heres etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris harum noticiam habituris, quod, quemadmodum anno superiore exorta fuerat coram nobis primum Leopoli, nobis in ea nuper agentibus, et subinde in hac conuencione generali Piotrkouiensi controuersia inter famosos preconsulem et consules eiusdem ciuitatis nostre Leopoliensis fideles nostros dilectos ab vna, et vniuersos Armenos eam ipsam ciuitatem commorantes parte ex altera pro aduocato Armenorum, quem ipsi Armeni contendebant habere specialem, cumque hec ipsa controuersia aliquanto tempore inter partes suprascriptas vertebatur, tametsi preconsul et consules ciuitatis predicte litteris et munimentis iura libertatesque ciuitati illi per predecessores nostros reges Polonie et presertim Cazimirum regem, qui magnus communiter nuncupatur, concessis sufficienter et pleniter docebant coram nobis Leopoli, quia vnus tantummodo in ea ipsa ciuitate Leopoliensi aduocatus ciuilis fieri et haberi debeat, qui iuxta iuris Theutonici, quod Maiidem-

Digitized by Google

burgense vocatur, formulam omnes homines cuiuslibet nacionis, rituum et fidei, catholice, Ruthene, Armenorum, Saracenorum et Judeorum, cuiuscunque status, sexus et condicionis fuerint, iudicare, sentenciare et condemnare deberet. Quia tamen nos, absentibus tunc a nobis consiliariis omnibus nostris regnique nostri, noluimus quicquam pro illo tempore ea in re decernere, sed eam ipsam causam in conuencionem generalem vbicunque in regno nostro proxime instituendam indecisam transtulerimus, mandantes tam preconsuli et consulibus quam Armenis Leopoliensibus predictis, vt cum litteris et munimentis omnibus causam ipsam concernentibus coram nobis et consiliariis nostris compareant, vbi visis et diligenter recensitis vtriusque partis munimentis id, quod iustum esset, cum iisdem ipsis consiliariis nostris decreturi essemus, quapropter comparentibus coram nobis et vniuersis consiliarijs nostris in presenti hac conuencione generali iuxta edictum nostrum, sic ut premissum est, Leopoli factum partibus vtrisque, repetentibusque verbo iura et priuilegia Leopoli coram nobis producta, quorum nosque non immemores fuerimus, nos vnacum eisdem consiliariis nostris, recensitis partis vtriusque priuilegiis, comperimus, quod Armeni ipsi Leopolienses nullas litteras nullaque priuilegia habuere sufficientem aduocati Armenici fundacionem continencia, preconsul vero et consules sufficiencia produxerant priuilegia docencia, quia vnus aduocatus iuris ciuilis in ea ciuitate sit habendus rituum omnium homines iudicaturus, sic vt perstringunt huiusmodi priuilegia. Igitur nos cum consiliariis nostris vniuersis taliter in ea re decreuimus et presentibus litteris nostris perpetuo decernimus statuentes, quod vniuersi et singuli Armeni ciuitatem predictam nostram Leopoliensem nunc et in futurum inhabitantes nullum deinceps aduocatum Armenorum sint habituri, sed coram aduocato ac preconsule, consulibus et iuratis in pretorio ciuitatis predicte iure ciuili presidentibus iuxta articulos et condiciones inferius descriptas comparebunt et de se querulantibus respondebunt, istis quatuor articulis exceptis, videlicet pro bonis et rebus immobilibus, puta hereditatibus, domibus, hortis et agris, et aliis eius generis, idem ipsi Armeni Leopolienses, cuiuscunque status, sexus et condicionis fuerunt, spirituales et seculares, coram predicto aduocato, preconsule, consulibus et iuratis in pretorio Leopoliensi comparere et respondere debeant. Qui eciam Armeni pro omnibus et singulis violenciis in ciuitate et extra ciuitatem quomodolibet commissis Armenos ipsos contingentibus similiter coram aduocato ciuili et consulibus parere et respondere debent,

Digitized by Google

et quilibet eorum debebit et tenebitur. Item pro homicidiis, wlneribus cruentis et liuidis ex quacumque causa commissis coram aduocato ipso ciuili, preconsule et consulibus atque iuratis comparebunt et respondebunt. Item pro furtis iidem ipsi Armeni et quilibet eorum coram predicto aduocato, preconsule et consulibus iuratisque omnibus de se querulantibus iuxta iuris Theutonici Maiidemburgensis modos et consuetudines respondebunt, et quilibet eorum respondebit. Pro aliis rebus et eventibus omnibus pro tempore Armenos contingentibus, hoc est, si alicui in aliqua culpabiles essent, nos cum consiliariis nostris innitentes priuilegio preconsulis et consulum predictorum per diwm olim Cazimirum magnum Polonie regem super ius Maiidemburgense ciuile ipsis dato, volumus, statuimus et decernimus, quod ipsi Armeni cittari debeant ad presenciam aduocati ciuilis, aduocatus autem ipse istud deferret ad ius eorum Armenorum isto modo, quia auisabit aduocabitque ad se sex Armenos seniores loco scabinorum, cum quibus iudicium faciet, et sicut isti ipsi seniores sex Armeni iuxta ius et consuetudines Armenicas cognouerint, sic aduocatus ciuilis sentenciabit. Et si unquam appellatum esset, volumus, quod in causis predictis Armenos concernentibus, que in pretorio iudicabuntur, appellaciones ad ius Theutonicum superius, ad quod ex ipsa ciuitate appellari consueuit, appelletur, que vero coram senioribus Armenorum iure Armenico iudicabuntur, tametsi illi iuri Armenico aduocatus ciuitatis presidebit, nihilominus ab eo ipso iure et iudicio Armeno non alibi quam ad maiestatem nostram nostrorumque successorum appellandum sit ea forma, qua istud fieri consueuit. Actamen volumus et decernimus, quod ipsi advocatus, preconsul et consules Armenos predictos preter ius et iusticiam grauare penasque ex illis exigere inconsuetas non debebunt, sed sic se ad auctoritatem eorum ciuilem in eos gerere debebunt, vt in homines catholice, Romane scilicet, fidei gerere consueuerunt. Qui Armeni preter premissa in omnibus bonum regimen ciuitatis illius exposcentibus ac ad defensionem ciuilem pertinentibus preconsuli et consulibus ciuitatis predicte parebunt et obedient, sic ut istud alii presertim Romane fidei incole ciuitatis istius facere consueuerunt. Prouisum tamen esse volumus, quia per hoc presens priuilegium nostrum non irritamus ius et consuetudines tam ciuiles preconsulis et consulum quam eciam eorundem Armenorum, sed vtramque parcium sicut preconsulem et consules in consuetudinibus ciuilibus iuris Maiidemburgensis et priuilegia ipsorum, sic Armenos in eorum iure Armenico et consue-

Digitized by Google

tudinibus conseruandum duximus et conseruamus. Que omnia premissa statuimus et decernimus perpetuo duraturis valitura tenore presencium mediante in ewm, et in horum fidem et testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum Priotrkouie in conuencione generali sabbato proximo ante dominicam Oculi anno domini millesimo quingentesimo decimo, regni nostri anno quarto, presentibus ibidem reuerendissimis et reuerendis in Cristo patribus dominis Andrea Gneznensi et primate, Bernhardino Leopoliensi archiepiscopis, Joanne Cracouiensi, Vincencio Wladislauiensi, Joanne Poznaniensi, Erasmo Plocensi, Luca Warmiensi, Mathia Premisliensi et regni nostri vicecancellario episcopis, necnon magnificis, venerabilibus et generosis Svithkone de Jaroslaw castellano Cracouiensi, Nicolao de Camiieniiecz palatino et capitaneo Cracouiense et exercituum regni nostri campiductore generali, Nicolao de Lubrancz Calissiensi, Ambrosio de Pampow Siradiensi, Fulen de Dambrouicza Lublinensi palatinis, Cristoforo de Schidlowicz Sandomiriensi, Joanne de Przieramb Siradiensi, Nicolao de Schidlowicz Radomiensi castellanis, Joanne de Lassko coadiutore Gneznensi perpetuo et regni Polonie cancellario, Stanislao de Chodecz eiusdem regni nostri marscalco et capitaneo Leopoliensi, Joanne Lathalski preposito Gneznensi, Joanne Carnkowskj canonico Cracouiensi, secretariis nostris, et aliis quam plurimis consiliariis et curien(sibus) nostris testibus circa premissa sincere et fidelibus (!) dilectis. Datum per manus eiusdem reuerendi patris domini Joannis coadiutoris Gneznensis perpetui et regni Polonie cancellarii de Lassko sincere nobis dilecti.

† Johannes qui supra e. et cancellar. sspt.

Grosse Pergamenturkunde mit rothem Wachssiegel (nach rechts sehender Adler mit ausgespannten Flügeln und Krallen, über dem Kopfe eine grosse königliche Krone, ringsherum eilf Wappenschilde und am Rande die nur noch zum kleinsten Theile lesbare Umschrift) an blauer und rother Seidenschnur, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396 a. a.

XXIV.

1512. K. Sigismund's Erneuerung und Confirmation der Wladislaw'schen Verleihung des deutschen Rechtes an einen Armenier von 1427.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus dei gratia rex Poloniæ etc. significamus etc. quomodo in nostra et consiliariorum nostrorum hic nobiscum existencium presentia constitutus personaliter famosus Iwasko Thijczka Armenus noster de Leopolim

Digitized by Google

supplicauit humiliter nostræ maiestati, quatenus eidem de gratia ac munificentia nostris regiis priuilegium tenoris infrascripti propter sigilli fracturam innouare et confirmare dignaremur, cuius priuilegij tenor sequitur et est talis. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Wladislaus etc. significamus etc. quomodo volentes, vt ciuitas nostra Leopoliensis — Actum in Swirsze feria quinta post festum S. Michaelis prox. a. d. 1427, præsentibus etc. Joannis decani Cracoviensis r. P. cancellarij. Cuius supplicationibus tanquam iustis benigniter annuentes, priuilegium præinsertum innouandum et confirmandum duximus, innouamusque et confirmamus præsentibus decernentes, illud robur perpetuæ firmitatis obtinere. In cuius rei etc. Actum Cracouiæ feria sexta ante dominicam Lætare proxima anno millesimo quingentesimo duodecimo, præsentibus reuerendis in Christo patribus dominis Joanne Cracouiensi, Mathia Præmisliensi episcopis et cancellario regni nostri, nec non magnificis, venerabilibus et generosis Spitkone de Jaroslaw castellano, Nicolao de Camieniecz palatino ac capitaneo Cracouiensi, Joanne de Tarnow Sandomiriensi, Joanne Odrowasch de Sprowa Russiæ, Ottha de Chodecz Podoliæ palatinis, Christophero de Schydlowiecz Sandomiriensi et viecancellario, Jacobo de Ziekluka Woynicensi, Nicolao de præfata Schydlowiecz Radomiensi, Andrea de Tanczijn Biecensi castellanis, Stanislao de Chodecz marschalko, Andrea de Coscieliecz thesaurario regni nostri, Petro Thomicki archidiacono, Sigismundo Targoniczki decretorum doctoribus, Joanne Carnkowski, canonicis Cracouiensibus, Stanislao Goreczki marschalco, Stanislao Chroberski vexillifero, incisore et subpincerna, et Nicolao Ocieski magistro agazonum curiæ nostræ Costensique et Coninensi et Pisdrensi capitaneo, cæterisque dignitariis et officialibus et curiensibus nostris testibus ad præmissa fidedignis sincere et fidelibus nostris dilectis. Datum per manus præfati reuerendi in Christo patris domini Mathiæ episcopi Præmisliensis et regni nostri cancellarij sincere nobis dilecti. Relatio reuerendi in Christo patris domini Mathiæ episcopi Præmisliensis et r. P. cancellarij.

Papierurkunde. Transsumt K. Sigismund's III. de dat. Varsauiæ in Com. R. Gener. 12. Januarii a. d. 1591, mit der Unterschrift des Kanzlers und dem eingedrückten Reichssiegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

Digitized by Google

XXV.

1513. K. Sigismund's Mandat an die Lemberger Consuln Frieden zu halten mit den Armeniern.

Sigismundus dei gracia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie Prussieque etc. dominus et heres.

Famosi fideles nostri dilecti cupientes, vt in iusticia seruemini, scribimus generoso Nicolao Laneczkoronski, scribimus eciam et waijwode Valachie, vos tamen idipsum curetis pro fide vestra, ne ex alienis culpis proprias acciones faciatis, et presertim vbi quid in nostrum dampnum vergeret, nam id impune transire nequaquam possemus. Quod vero ad Armenorum vobiscum controuersiam attinet, videtur nobis satis prouisum esse, vt inter vos et concordia et equitatis norma permaneat. Que quidem vt permaneat, vobis mandamus. Datum Poznanie feria quinta ante dominicam Reminiscere proxima anno domini millesimo quingentesimo tredecimo, regni nostri septimo.

Commissio propria regie maiestatis.

Papier, Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Auf der Rückseite steht die Aufschrift: Famosis Preconsuli et Consulibus Ciuitatis nostre Leopoliensis fidelibus dilectis.

XXVI.

1518. K. Sigismund's Declaration einer älteren Sentenz vom Jahre 1510 betreffs des Gerichtsstandes der Armenier und Confirmation früherer Privilegien.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus dei gracia rex Polonie etc. manifestum facimus tenore presentium literarum uniuersis et singulis, quoniam nuper ad auditum nostrum est deductum, quomodo inter fideles nostros dilectos preconsulem et consules ex una, et Armenos famate nostre ciuitatis Leopoliensis partibus ex altera disceptaciones orte sunt, an aduocatus ciuilis iuris Theutonici cum consulibus et iuratis ciuitatis Leopoliensis in omnibus casibus Armenos nostros Leopolienses ciuitatem incolentes deberent iudicare et sententiare. Verum quia ex priuilegio per nostram maiestatem pro parte preconsulis et consulum aduocatique Leopoliensis predictorum concesso apparet, quod Armeni vniuersi et singuli in ciuitate

Digitized by Google

Leopoliensi nunc et in futurum agentes nullum deinceps aduocatum sunt habituri, sed coram aduocato, preconsule et consulibus iuratisque ciuitatis Leopoliensis in pretorio ciuitatis predicte iuxta articulos et condiciones in huiusmodi priuilegio expressas legittime conuenti comparere et de se questionem facientibus respondere debent, et (in) hoc in quattuor articulis duntaxat in priuilegio predicto specificatis, quod quidem priuilegium pro ipsorum Armenorum informacione presentibus literis inscribi mandauimus, cuius quidem priuilegii tenor sequitur: In nomine domini amen. (etc. seq. priv. d. d. Pyotrkov. in conv. gen. sabbato prox. ante dom. Oculi a. d. 1510.) Nostram igitur ordinacionem in preinserto priuilegio descriptam declarare et omnem eius ambiguitatem tollere et summouere uolentes, meminimus siquidem, quod uniuersi et singuli Armeni Leopolienses nullum de cetero aduocatum sunt habituri, sed quod aduocatus ciuilis iuris Theutonici cum preconsule et consulibus ac iuratis ciuitatis predicte Leopoliensis pro tempore existentibus eos iudicabunt et sentenciabunt, in quattuor duntaxat articulis in suprascripto priuilegio expressis et inferius per nos specificatis, pro quibus quattuor articulis coram eisdem aduocato et preconsule et consulibus stare, parere et de se questionem facientibus (respondere) iure Theutonico Maydemburgense respondere tenebuntur sub pena et uadio inferius descripto. Quorum quidem articulorum primus sequitur. Primo, quod pro omnibus bonis et rebus immobilibus, id est pro hereditatibus, pro domibus, pro areis, pro agris, secundo pro uiolenciis in ciuitate et extra ciuitatem nostram Leopoliensem quomodolibet comissis, tercio pro homicidio et uulneribus cruentis ac liuidis, quarto pro furticiniis ipsi Armeni et quilibet eorum coram aduocato ciuili et preconsule consulibusque ac iuratis predicte ciuitatis omnibus de se querulantibus stare, parere et iudicato satisfacere omnino sunt astricti. Sed quia memorati preconsul et consules cum aduocato in omnes euentus se ingerunt ad iudicandum, iuri et consuetudinibus Armenorum derogantes, facientes id contra nostram ordinacionem et in grauamen Armenorum nostrorum, ideo hac ordinacione in perpetuum ualitura iubemus, quod Armeni pro omnibus et singulis rebus, casibus et euentibus, quattuor suprascriptis articulis exceptis, ad presenciam aduocati ciuilis Leopoliensis citari debeant, sed aduocatus talem casum uel casus cum toto effectu ad ius Armenorum debet remittere, et hoc tali modo aduocatus facere debet, quod ipse aduocatus personaliter descendat ad pretorium, vbi eciam alie cause ciuitatis audiuntur et iu-

Digitized by Google

dicantur, istudque faciat uocatis ad se prius sex uiris de gente Armenica senioribus, qui loco scabinorum aduocato debent assidere, cum quibus sex uiris iudicium faciat iuxta iuris Armenici formam et consuetudinem, et sicut predicti sex uiri decisionem fecerint, ita aduocatus sententiam ferre debet et tenebitur. Quod si aliquis per huiusmodi sententiam iure Armenico latam grauatum se senserit, tunc non ad ius Theutonicum superius ciuitatis Leopoliensis, sed ad nostram maiestatem successorumque nostrorum tali homini liceat appellari, appellacionis tamen huiusmodi debet fieri persecucio iuxta iuris Armenici normam et consuetudinem, exceptis tamen quattuor articulis supra expressis, racione quorum quattuor articulorum ad ius Theutonicum superius, ad quod ex ciuitate Leopoliensi appellari solet, legittime appelletur. Penas autem ex iudicio Armenico iuste et legittime prouenientes aduocatus cum sex uiris senioribus Armenis, qui sibi loco scabinorum assidebunt, ita inter se diuidant, sicut cum scabinis iuris Theutonici consultum est dividere. Vt autem preconsul et consules aduocatusque et iurati prefate ciuitatis Leopoliensis preter ius et iusticiam se in causas alias Armenorum, scilicet de quibus solus aduocatus cum sex uiris predictis cognoscere debet, preter quattuor articulos suprascriptos non ingerant, penam ducentarum marcarum pecunie monete et numeri Polonicalis consueti presentibus nallamus et interponimus, per eosdem preconsulem et consules ac advocatum pro fisco nostro regio, si secus fecerint, succumbendam. Uolumus tamen, quod Armeni, cum se grauatos senserunt, prius istud ad consulatum deferant et eundem legittime admoneant, quatinus se in eorum iurisdictionem non intromittat, quod si facere non curauerit, tunc demum hoc et talem iniuriam ad capitaneum nostrum Leopoliensem uel eius viceecapitaneum pro tempore existentes legittime deferant et sollemniter protestentur. Eandem penam Armeni debent succumbere, si in predictis quattuor articulis coram aduocato et iuratis iuxta formam iuris Theutonici stare, parere et iudicato satisfacere non curauerint. Non debent eciam consules carcerem prohibere ad coniiciendos eos, qui in censibus nostris soluendis negligentes et remissi, et qui per aduocatum et sex uiros iure mediante iure Armenico condempnati fuerint. Item ordinacionem de testamentis per Armenos faciendis et privilegium regis Wladislai desuper concessum in robore conseruamus. Item privilegium domini Wladislai regis super duo maccella Armenis concessa per serenissimum dominum Cazimirum regem Polonie patrem nostrum charis-

Digitized by Google

simum confirmatum tenore presencium confirmamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum Cracouie sabbato proximo ante dominicam Judica anno domini millesimo quingentesimo decimo octauo, regni uero nostri duodecimo, presentibus reuerendissimo et reuerendis in Christo patribus dominis Joanne archiepiscopo Gnesnensi legato nato et primate, Joanne de Conari Cracouiensi, Mathia de Drzewicza Wladislauiensi, Erasmo Plocensi, et Petro Thomiczki Premisliensi et regni nostri vicecancellario, necnon magnificis, generosis et uenerabilibus Spythcone de Jaroslaw castellano, Crystoforo de Schydlowyecz palatino et capitaneo Cracouiensi ac regni nostri cancellario, Joanne Zaremba de Calinowa Calisiensi, Otha de Chodecz Russie generali, et Andrea de Thanczyn Lublinensi palatinis, Nicolao de Schydlowyecz Sandomiriensi et regni nostri thesaurario, Nicolao Jordan de Zaklyczyn Woyniciensi, Stanislao de Sprowa Zarnowiensi, et Nicolao Czykowsky Polanecensi castellanis, Stanislao de Chodecz Leopoliensi et regni nostri marschalko, Petro Cmytha de Wyseznyeze Premisliensi, Stanislao de Pylcza Sanocensi capitaneis, Joanne Carnkowsky Scarbuniriensi, Stanislao Gorecky custode Plocensi et Calissiensi prepositis, Andrea Czyczky scolastico Posnaniensi, secretariis nostris, et aliis quamplurimis aulicis nostris testibus fidedignis ad premissa sincere et fidelibus nostris dilectis. Datum per manus magnifici Christophori de Schydlowiecz palatini et capitanei Cracouiensi ac regni nostri cancellarii, tum Siradiensi, Gostinensi et Sochaczowiensi, Noue Ciuitatis Corczyn etc. capitanei sincere nobis dilecti.

Cristoforus de S. palt. et c. Crac. ac r. P. cancel. sst.

Relatio magnifici Cristofori de Schydlowyecz palatini et capitanei Cracouiensi ac regni Polonie cancellarii etc.

Pergamenturkunde mit Schnur für das Siegel, das aber nicht mehr daran hängt, im Lemberger Stadtarch v Fasc. 473.

XXVII.

1518. K. Sigismund's Decret über die Gerichtsstätte der Armenier und Contributionspflicht.

Sigismundus dei gracia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie, Prussieque etc. dominus et heres.

Digitized by Google

Famatis proconsulibus et consulibus ciuitatis Leopoliensis fidelibus dilectis gratiam regiam. Famati fideles dilecti. Cum nuper dedissemus litteras nostras Armenis Leopoliensibus, quibus decreuimus aduocatum istius ciuitatis Leopoliensis, vocatis ad se nonnullis senioribus Armenis in pretorium, vbi alie cause ciuiles iudicarj et examinarj solent, quasdam ipsorum causas iudicare debere, postea vero intellexissemus, quod hec ipse litere ad varios trahuntur sensus, Armenos illas ita interpretantibus, quod aduocatus ciuilis cum eorum senioribus causas illorum in pretorio et scabellis ac locis scabinorum Leopoliensium iudicare deberet, vobis vero ita censentibus et interpretantibus, quod idem aduocatus vester in pretorio quidem secundum decretum nostrum cum Armenis eorum causas iudicare deberet, sed non in subsellijs scabinorum, volentes hanc ambiguitatem literarum nostrarum tollere et partem tramque circa ius suum conseruare, decreuimus, aduocatum predictum vestrum ciuilem causas cum senioribus Armenis iudicaturum in pretorium descendere debere, ibique easdem causas cum ipsis senioribusc Armenis audire et diffinire, non tamen in subsellijs scabinormu Leopoliensium sedere tunc debebit, sed in alio loco pretorij vestrj ad hoc per vos deputato seu deputando. Preterea non absoluimus Armenos ipsos a soluenda contribucione reginalis maiestatis racione prioris libertatis, et quam nuper ipsis concessimus, ijmo ad presens non solum Armenorum, verum etiam aliorum subditorum nostrorum libertatibus derogauimus, neque a contributionibus ac oneribus ciuilibus per vos et communitatem vestram pro bono regimine istius ciuitatis institutis et instituendis illos etiam, qui per ignem damna sunt passi, exemimus, nec ad presens eximimus, sed ipsos Armenos sicut alios subditos nostros ritus Romani quo ad soluendas huiusmodi contribuciones et ciuilia onera obeunda obligatos esse volumus, libertate illis per nos concessa minime obstante, mandantes, vt vos etiam illos ad ea ipsa onera ciuilia vobiscum ferenda compellatis, et contrauenientes congrua et equa animaduersione puniatis, pro officio vestro et gracia nostra. Harum, quibus sigillum nostrum est impressum, testimonio litterarum. Datum Cracouie feria quarta proxima post festa penthecostes anno domini millesimo quingentesimo decimo octauo, regni nostri anno duodecimo.

Ad mandatum regie maiestatis proprium.

Pergamenturkunde mit aufgedrücktem Siegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

Digitized by Google

XXVIII.

1518. K. Sigismund entscheidet einen Rechtsstreit der Armenier mit den Lemberger Consuln und Schöffen betreffs der Gerichtsbarkeit.

Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus dux Lituanie, Russie, Prussieque etc. dominus et heres, significamus tenore presencium vniuersis, quia, cum proposita esset coram nobis et iudicio nostro querela et actio instituta iuxta obseruacionem iuris Theutonici Maideburgensis nomine tocius communitatis Armenorum Leopoliensium contra et aduersus famatos preconsulem, consules, aduocatum et scabinos vt officiales ciuiles ciuitatis nostre Leopoliensis, ipsique Armeni allegassent in sua proposicione, eosdem officiales ciuiles contra vim, disposicionem et ordinacionem priuilegii nostri eisdem Armenis de modo iudicandi eos in certis articulis iure ciuili Maideburgense et in reliquis omnibus iure ipsorum Armenico datj, concessi et limitati temere excessisse, hoc idem priuilegium in persona olim Ivaschkonis Tichnowicz Armeni iure ciuili Maideburgensi vltra dictos articulos in dicto priuilegio contentos et expressos per prefatos officiales ciuiles Leopolienses iudicatj, condemnati et capite plexi fuisse et esse violatum, ex aduerso uero dictis officialibus ciuilibus impugnantibus allegantibusque ac probantibus multis deductionibus, non se quidpiam contra dictum priuilegium Armenis, vti prefertur, concessum excessisse in eo, quod Ivaschkonem in recenti crimine adulteri cum femina catholica christiana deprehensum per huiusmodi iuris sui ciuilis rigorem et obseruacionem iudicassent condemnassentque ac decreuissent, in capite illius esse puniendum, prout punitus erat in effectu, nos post earundem parcium longas proposiciones et replicaciones iudicialiter hincinde factas et illis cum consiliariis nostris mature pensatis et discussis, habentes eciam in debita racione priuilegium nostrum dictis Armenis concessum, talem in ea causa sentenciam nostram tulimus et pronunctiauimus, ferimusque ac pronunctiamus per presentes, quod, cum in priuilegio predicto Armenis Leopoliensibus concesso limitatum sit per expressum, Armenos ipsos Leopolienses nonnisi in quatuor casibus seu articulis iure ciuili Maideburgensi per dictos officiales ciuiles Leopolienses, et in reliquis omnibus casibus et euentibus iure prefato Armenico iuxta ordinacionem in eodem priuilegio specifice descriptam debere iudicari,

Digitized by Google

eosdem ciues et officiales Leopolienses ad iudicandum et puniendum dictum Ivaschkonem Armenum illegittime processisse, ac priuilegium nostrum in hac parte violasse et illi temere contrauenisse, et ob hoc eosdem ipsos officiales ciuiles Leopolienses vadium siue penam ducentarum marcarum pecunie in priuilegio prefato super obseruandis hinc-inde ordinacionibus prescriptis per nos expresse interpositam incurrisse et succubuisse, quam ab illis fisco nostro regio solui ex nunc et reponi uolumus. Armenis uero, quibus omnibus etiam in ipsa uiolacione priuilegii iniuria est facta, decernimus pro emenda seu pena iuxta morem iuris Maideburgensis singulis hospitibus, hoc est, qui in ciuitate Leopoliensi domum habent et suum proprium uictum ducunt, uiginti grossos pecunie comunis intra spacium duodecim septimanarum soluendos. Pro capite autem olim Ivaschkonis, quia filius eius egit et penam exposcebat, que in excessu officii iuxta formam iuris Maideburgensis ad nos et arbitrium nostrum deuenit, decreuimus et decernimus, preconsulem et consules Leopolienses predictos in carcerem detradendos, vt et illi et reliqui deinceps documentum capiant, qualiter se in officio suo erga priuilegia nostra et personas ab eorum iurisdictione exemptas gerere debeant. Ne autem in posterum vlla ambiguitas, que ad presens uisa est, insit nostro priuilegio Armenis concesso, illud in conuentu generali proxime futuro cum consiliariis nostris declarare et interpretari uolumus, in quo quia continetur, vt vltra quatuor articulos expressos Armeni iure suo Armenico iudicarentur, eciam uolumus, vt ipsi Armeni ius suum lingua Ruthenica seu latina conscriptum ad eundem conuentum generalem secum afferant et coram nobis producant, de quo quid congruum et decens erit ad tenendum *) . . . ciuibus et consulibus Leopoliensibus quam Armenis terminum coram nobis in eodem conuentu die quinta decima post nostrum egressum statuimus et prefigimus, uolentes et mandantes proconsuli et consulibus et tote ciuitati Leopoliensi, vt se deinceps aduersus Armenos iuste et equanimiter (?) gerant, iura et immunitates eorum firmiter et inuiolabiliter obseruent, e diuerso vero Armenis, vt officium et omnes ciues habeant in honore et obseruancia debita, et cum hominibus mansuete, iuste et concorditer agant, neque ullam ex se causam discordie et tumultus intestini prebeant, sub graui indignacione nostra aliter non facturi. Harum, quibus sigillum nostram est impressum, testimonio literarum.

*) Eine ganze Zeile ist ausgerissen.

Digitized by Google

Datum Cracouie feria tercia proxima ante festum vndecim milia virginum anno domini millesimo quingentesimo decimo octauo, regni uero nostri anno duodecimo.

Petrus episcopus et vicecancellarius sst.

Relacio reuerendissimi in Christo patris domini Petri episcopi Premisliensis et r. P. vicecancellarii.

Papierurkunde mit aufgedrücktem Siegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XXIX.

1519. K. Sigismund's Confirmatorium der Urkunde K. Kasimir's von 1462, wodurch das Privilegium K. Wladislaw's vom Jahre 1402 über Handelsfreiheiten der Armenier bestätigt und erweitert wurde.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, necnon terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Russie, Prussie, Culmensis, Elbingensis et Pomeranie etc. dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris harum noticiam habituris, quomodo constituti coram nobis Armeni ciuitatis nostre Leopoliensis exhibuerunt literas sub titulo et sigillo serenissimi olim principis domini Cazimiri regis Polonie parentis nostri desideratissimi, confirmationem prinilegii diui olim Wladislai Polonie regis aui nostri charissimi nonnullas prerogatiuas eorundem Armenorum in se continentes, supplicaruntque nobis, vt illas auctoritate nostra regia approbare, ratificare et confirmare dignaremur, quarum tenor sequitur et est talis (sequitur priv. Cazimiri de dat. Piotrkov. conv. gen. fer. tercia ipso die S. Clementis a. d. 1462). Nos vero Sigismundus rex prenominatus annuentes supplicationibus predictorum Armenorum ciuitatis nostre Leopoliensis, preinsertas literas et omnia ac singula in eis contenta approbauimus, ratificauimus et confirmauimus, approbamusque, ratificamus et confirmamus presentibus decernentes, ipsas robur perpetue firmitatis in omnibus earum clausulis, conditionibus et articulis habituras. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Actum et datum in conuentione generali Piotrkouiensi dominica Carnispriuii anno domini millesimo quingentesimo decimonono, regni nostri tredecimo, presentibus ibidem reueren-

Digitized by Google

dissimo et reuerendis in Christo patribus dominis Joanne sancte Gneznensis ecclesie metropolitane archiepiscopo et primate sedisque apostolice legato nato, Mathia Wladislauiensi, Joanne Posnaniense, Fabiano Warmiensi, Petro Premisliensi et regni nostrj vicecancellario ecclesiarum episcopis, necnon magnificis, venerabilibus et generosis Christoforo de Schijdlowiecz palatino et capitaneo Cracouiensi et regni nostri cancellario, Joanne Gardzina de Lubrancz Posnaniensi, Nicolao de Dambrowijcza Sandomiriensi, Jaroslao de Lassko Siradiensi, Joanne Jarand Lanciciensi, Ottha de Chodecz Russie generali, Nicolao de Nijszijcze Plocensi, et Andrea de Thanczin Lublinensi palatinis, necnon Luka de Gorka Posnaniensi, Nicolao de Schijdlowijecz Sandomiriensi et regni nostri thesaurario, Nicolao Jordan Woijnicensi et procuratore nostro generali Cracouiensi ac Scepusiensi, Zathoriensi, Osswijanczimensi capitaneo, Joanne Siradiensi, Adam de Drzewijcza Radomiensi castellanis, Joanne Liathalskij Gneznensi, Cracouiensi et Lanciciensi, Joanne Carnkowski Skarbimiriensi, Andrea Czyczkij sancti Michaelis Plocensi et Sredensi prepositis, secretarijs nostris et canonicis Cracouiensibus, Stanislao Chroberskij vexillifero, incisore et pincerna curie nostre, Siluestro Oszarowski succamerario nostro et Zauichostensi, Nicolao Thomijczki magistro stabuli nostri et Costensi capitaneis, et alijs quam pluribus dignitarijs, officialibus ac aulicis nostris circa premissa testibus fidedignis sincere nobis et fidelibus dilectis. Datum per manus prefati reuerendi in Christo patris domini Petri episcopi Premisliensis et regni nostri vicecancellarij sincere nobis dilecti.

Petrus episcopus et vicecancellarius sst.

Relatio eiusdem reuerendi in Christo patris domini Petri episcopi Premisliensis et r. P. vicecancellarij.

Grosse Pergamenturkunde mit weiss-grün-violeter Seidenschnur für das Siegel, welches aber nicht mehr daran hängt. Aufbewahrt im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XXX.

1519. K. Sigismund's Mandat an die Lemberger Consuln mit den Armeniern Friede zu halten.

Sigismundus dei gracia rex Polonie, magnus dux Lituanie, Russie, Prussieque etc. dominus et heres.

Digitized by Google

Famatis proconsuli et consulibus ciuitatis nostre Leopoliensis fidelibus dilectis gratiam regiam. Famati, fideles, dilecti. Produxerunt coram nobis et ostenderunt Armeni ciuitatis nostre Leopoliensis iura sua Armenica in latinum sermonem traducta, quibus reuidendis et examinandis, districti ad presens alijs negocijs rei publice, vacare non potuimus, mature tamen et diligenter illa reuideri ac perpendi curabimus, que emendata per nos non erunt vobis posthac incognita. Interim uero mandamus uobis, ut cum ipsis Armenis in pace et bona vicinitate viuatis conseruetisque ipsos in omnibus illis iuribus et consuetudinibus ipsorum, in quibus fuerunt et sunt hactenus conseruatj, pro gracia nostra aliter non facturj. Datum Cracouie in uigilia annunctiationis Marie virginis anno domini millesimo quingentesimo decimo nono, regni nostri tredecimo.

Ad mandatum regie maiestatis proprium.

Papierurkunde mit aufgedrücktem Siegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XXXI.

1521. K. Sigismund's Mandat an die Armenier über Zulassung katholischer Zeugen und die Strafgewalt der Consuln.

Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie, Prussieque etc. dominus et heres.

Armenis nostris Leopoliensibus fidelibus dilectis gratiam regiam. Fideles dilectj. Questi sunt nobis consules et ciues nostri Leopolienses, quod in eorum actionibus, quas aliquando illos coram iudicio vestro habere cum Armenis contingit, testes catholicos, quos inducunt, ad perhibendum testimonium in eorum causis non admittitis, freti quadam constitucione vestra, de perhibendo testimonio edita, disponente, alios testes non debere in ipso iudicio vestro inducj. nisi ex genere Armenorum, que quidem constitucio vt alie multe intelligi et seruari debet inter solos Armenos, quando videlicet vnus Armenus contra alium aliquid in iudicio probare contendit; secus enim est de Christianis seu Ruthenis actionem cum aliquo Armenorum habentibus, quia ipsi probare possunt intencionem suam per testes idoneos etiam non Armenos. Quare mandamus vobis, ita prorsus habere volentes, vt in iudicio vestro legittima testimonia in eorum causis, quando in iudicio vestro tractantur, suscipiatis et admittatis, et quendam Armenum, qui dicitur

Digitized by Google

contra proconsulem istius ciuitatis impudenter et insolenter verbis inhonestis et indignis excessisse, consulibus ipsis digna animadversione, iure et iusticia mediante, punire permittatis, vt alij eius exemplo ad inferendam huiusmodj contumeliam officialibus et magistratibus ciuilibus reddantur tardiores, pro gratia nostra aliter non facturj. Datum Cracouie sabato proximo post Petri ad Vincula, anno domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, regni nostri anno quintodecimo.

Ad mandatum regie maiestatis proprium.

Papierurkunde mit aufgedrücktem Siegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XXXII.

1523. K. Sigismund's Sentenz über einen Rechtsstreit zwischen den Lemberger Consuln und Armeniern, betreffend: gerichtliches Zeugniss, Resignationen unbeweglicher Güter u. a.

Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie, Prussieque etc. dominus et heres, significamus tenore presencium vniuersis, quod, licet iam pridem composuerimus controuersiam, que inter consules et ciues Armenosque nostros Leopolienses de aduocato eorum Armeno et iuribus illorum fuerat suborta, ipsaque iura, ex lingua Armenica solis Armenis cognita iusso nostro in sermonem latinum conversa, quo facilius aliis etiam legenda et intelligenda preberentur, decenti interpretacione et moderatione correxerimus ac diffiniuerimus, quia tamen demum ex hijsdem iuribus in latinum traductis, sev super quibusdam eorum articulis noua materia questionum et controuersiarum inter predictas partes emersit, que in nos et consiliarios nostros est relata per easdem partes, decretum et sentenciam nostram super illis a nobis humiliter petentes, ne locus vllis cauillationibus et ambiguitatibus relinqui possit, ipseque partes ad sumptus, curas et labores amplius non deducantur supernacaneos et invtiles, in bonaque amicicia et concordia conserventur, nos, auditis prefatis articulis ac disceptationibus allegationibusque, dictis et responsis ipsarum partium super illis mature nobiscum expensis, decreuimus, ordinarimus et pronunctiari fecimus in hunc, qui sequitur, modum. Inprimis igitur, quia questi sunt consules et ciues ipsi Leopolienses, quod Armeni non acceptarent nec admitterent in iure eorum Armenico in causis, que alijs subditis nostris ritus catholici sev Romani et eciam Ruthenici cum

Digitized by Google

ipsis aliquando eveniunt, testimonia hominum alterius ritus quam Armenicj, decrevimus et volumus, quod christiani ritus catholici et Ruthenici debent admitti ad testificandum in ipso iure Armenico, et quod etiam Armeni possint ferre testimonium in iure ciuili, et eorum attestaciones vtrinque pondus habere debent, si a viris fidedignis proficiscantur, quodque testibus in iure Armenorum inductis, si pars, contra quam inducuntur, ipsorum legalitati deferre nollet, sed postularet ab illis iuramentum prestari, id omnino prestare teneantur, quando quidem ita in iure ciuili Maijdeburgensi obseruari consveuit. Quod vero controversiam super resignationibus domorum Armenicarum exortam attinet, volumus, decernimus et ordinamus, quod illarum resignationes, quotienscunque contingant, non alibi fieri debent quam in iure ciuili, si vero aliquando inter Armenos contingat diuisio successionis hereditarie, bonorum scilicet immobilium, etiam ea ipsa diuisio debet coram iure ciuili fateri et actis ciuilibus inscribi. Intromissiones autem in bona immobilia Armenorum fieri debent per aduocatum ciuilem et duos scabinos Armenicos, qui demum consules accedant et eam rem fateantur, que postmodum debet in acta ciuilia scribi. Regie quoque nostre procurationes debent in iure Armenico, vti par est et decet, vim suam habere. Preterea dominus et alius quicunque incola illius ciuitatis nostre Leopoliensis et externus cniuscunque nationis poterit servum suum aut ex amicis aliquem vel quempiam alium plenipotentem facere, aut cum literis sufficientis plenipotencie a quocunque officio autentico legittime emanatis mittere, vigore quarum in eorum iure causam aget, non autem constituet in plenipotentem causidicum sev procuratorem aliquem, qui propter mercedem pecuniarum loquitur. Item omnia delicta criminalia, utpote violencie et que vite privationem honoremque ac bonam famam concernunt, sev actiones pro illis criminaliter intentate debent in ius ciuile relegari sev remitti, illic iudicande et fine debito terminande. Item si Armenus quispiam noctu aliquem excessum commisserit, debet a custodibus et lictoribus in carcerem ciuilem tradi, mane vero debent Armeni rogare consules, si voluerint, vt e carcere liberaretur. Si vero cuipiam aliquid iniurie ipse Armenus detentus fecerit, debet sub fideiussione e vinculis dimitti et in ius Armenicum trahi, vbi parti iniuriam passe debet iusticia administrari. Mulcte quoque sev pene, si alique provenirent pro tali iniuria vel excessu Armeni illius noctu detenti, debent iuri Armenico cedere. Item Armenis liberum sit Armenos ceteros, servos ac servas eorum, in carcerem ciuilem conicere,

Digitized by Google

eosque punire et castigare iuxta commissa et excessus illorum, demptis noxis capitalibus, que iudicio ciuili reseruantur. Item si quispiam Armenus coram proconsule seu aduocato ciuili proterve et contumaciter se gesserit aut aliqua conuicia protulerit, debebit ipse proconsul vel aduocatus seniores Armenorum in domum suam aduocare, et cum illis pariter de excessu illius Armeni contumacis siue protervi et conuiciantis cognoscere illumque ad carcerem ciuitatis tradere. Reliqui vero omnes articuli, quos vtraque pars in suis priuilegiis habet, hic non descripti nec limitati debent in pleno suo vigore permanere, quibus in nullo derogamus nec derogari per aliquem volumus. Vt autem premissa omnia et singula testata sint et firma, presentes literas fieri mandauimus sigillo nostro regio munitas. Actum et datum Cracouie in conuencione generali sabato proximo ante dominicam conductus Pasche, anno dominj millesimo quingentesimo vigesimo tercio, regni nostri anno decimo septimo.

Petrus episcopus et vicecancellarius sst.

Relacio reuerendi in Christo patris dominj Petri episcopi Posnaniensis et regni Polonie vicecancellarij.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396, ohne Siegel, aber mit blau-braun-grüner Schnur dafür. Daselbst befindet sich noch die zweite gleichlautende Ausfertigung dieser Urkunde ebenfalls auf Pergament und vom Vicekanzler unterfertigt. Das Siegel ist aber auch an dieser nicht mehr befindlich.

XXXIII.

1548. K. Sigismund August's Confirmatorium aller Rechte und Freiheiten der Armenier.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus Augustus dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, necnon terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiauiae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Culmensis, Elbingensis, Pomeraniae etc. dominus et haeres, significamus tenore praesentium quorum interest vniuersis et singulis praesentibus et futuris harum noticiam habituris, quia, quemadmodum nos duodecimo abhinc anno solenni praestito iuramento et literis ad id datis obligauimus nos, postquam regni gubernacula acceptaremus, omnia iura, priuilegia et libertates quorumuis subditorum nostrorum omnium statuum et ordinum tam publicas quam priuatas confirmare, ita, posteaquam serenissimus dominus parens noster desydera-

Digitized by Google

tissimus ex hac vita decessit regnique gubernacula ad nos sunt delata, tametsi memores iurisiurandi a nobis præstiti et fidei per literas nostras datae ea, ad quae verbis nos adstriximus, in praesenti generali conuentu regni nostri re ipsa praestiterimus, omniaque iura, priuilegia, literas, libertates et immunitates, prerogatiuas ecclesiasticas et seculares, tam publicas quam priuatas, personis cuiuscunque status et ordinis a regibus Poloniæ et aliis antecessoribus nostris concessas literis super ea re specialiter datis confirmauerimus, eaque nos omnia sancte et inuiolabiliter obseruaturos vigore præstiti iuramenti obligauerimus. Quia tamen, nobis in conuentione hac generali Piotrcouiensi existentibus, venientes ad nostram præsentiam fideles nostri subditi seniores Armenorum ciuitatis nostrae Leopoliensis suo et communitatis Armenorum nomine nobis supplicantes, vt omnia iura, priuilegia, literas, libertates, praerogatiuas et immunitates, insuper et consuetudines ipsis Armenis Leopoliensibus et ipsorum communitati a serenissimis antecessoribus nostris regibus aliisque concessas specialibus nostris literis authoritate nostra regia approbare, ratificare, confirmareque dignaremur, exhibueruntque coram nobis literas prolixas in pergameno descriptas sub titulo serenissimi domini parentis nostri desyderatissimi, sigillo eiusdem e zona cericea dependente communitas, nulla in parte suspectas, a suaque maiestate confirmatas, varias libertates et praerogativas ipsis Armenis eorumque communitati concessas in se continentes, nos supplicationi ipsorum vt iuste benigne annuentes, censentes tam literas praefatas serenissimi domini parentis nostri non secus, atque si de verbo ad verbum praesentibus literis essent insertae et inscriptæ, quam omnia alia priuilegia, iura, donationes, literas, libertates, praerogatiuas et immunitates, quibus ipsi Armeni eorumque communitas gaudet iuste et legitime, ipsis per serenissimos antecessores nostros publice et priuatim concessas, quas hic pro specialiter et singillatim insertis habere volumus, tam in genere quam in specie, generalitati per specialitatem et specialitati per generalitatem non derogantes, in omnibus earum punctis, articulis, conditionibus et clausulis, iusuper et consuetudines, quibus vsi sunt et hucusque vtuntur, approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, approbamusque, ratificamus et confirmamus præsentibus literis nostris, decernentes, ea omnia iura, priuilegia, donationes, literas, libertates, praerogatiuas et immunitates et consuetudines robur debitæ et perpetuæ non secus atque ciuitatis Leopoliensis firmitatis obtinere debere. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum

Digitized by Google

est subappensum. Datum Piotrkouiæ in conuentione generali regni nostri feria quinta post festum conceptionis gloriosissimæ virginis Mariæ proxima, anno domini millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, regni vero nostri decimo octauo, præsentibus reuerendissimo ac reuerendis in Christo patribus dominis Nicolao Dzierzgowski archiepiscopo Gnesnensi legato nato ac primate, Samuele Maczieiowski Cracouiæ et regni nostri cancellario, Andrea Wladislaviensi, Andrea Noskowski Plocensi, Joanne Dziaduski Premisliensi, Joanne Droiowski Chelmensi ecclesiarum episcopis, ac magnificis, generosis et venerabilibus Joanne comite a Tarnow castellano Cracouiensi, regni nostri exercituum supremo ac Sandomiriensi, Striensi et Lubaczouiensi capitaneo, Petro Cmitha comite in Visnicze Cracouiensi, regni nostri marschalko, Cracouiensi, Scepusiensi, Premisliensi et Colensi, Janussio Liatalski Posnaniensi, Schidlouiensi et Juniwladislawiensi, Joanne comite a Thenczin Sandomiriensi, curiæ nostræ marschalko, Lublinensi et Lielioniensi, Stanislao a Lasko Syradiensi ac Lanciciensi, Petro de Sluzewo Calissiensi et Diboniensi. Joanne Dzierzgowski Mazouiæ et Varschouiensi palatinis et capitaneis, Andrea comite a Gorka Posnaniensi et maioris Poloniæ generali, Martino Sborowski Calissiensi, Schidlouiensi et Odolanouiensi, Sbitkone de Tarnow Voiniciensi, regni nostri thezaurario, Brzesnicensi, Krzepicensi et Krzessouiensi, Stanislao de Przeramp Syradiensi, Joanne Oczieski Biecensi, serenissimæ dominæ parentis nostræ charissimæ curiæ magistro, burgrabio et succamerario Cracouiensi ac Sandecensi, Erasmo de Krethkow Brzestens ac Pisdrensi, Nicolao Grabia Chelmensi, regni nostri vicecancellario ac Lubomliensi, Alberto Starzechowski Belzensi et Drohobicensi, Joanne Bonar de Balicze Oswienczimiensi, Joanne de Gologori Haliciensi castellanis et capitaneis, Jacobo Vchanski decano Plocensi et archidiacono Varschouiensi, Valentino Dambienski, curiae nostræ refferendariis, Joanne Przerampski præposito, Stanislao Hossio canonico Cracouiensi, secretariis nostris, sincere et fidelibus dilectis. Datum per manus præfati magnifici Nicolai Grabia castellani Chelmensis, regni nostri vicecancellarii, et Lubomliensis etc. capitani.

Nico. Grabia regni vicecancellar. sst.

Relatio magnifici Nicolai Grabia castellani Chelmensis, regni Poloniæ vicecancellarii, Lubomlensisque capitanei.

Grosse Pergamenturkunde mit einem kleinen Überreste des rothen Wachssiegels an rother Seidenschnur, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

Digitized by Google

XXXIV.

1549. K. Sigismund August's Exemtionsprivilegium der Armenier von fremder Gerichtsbarkeit.

In nomine domini amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Sigismundus Augustus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, necnon terrarum Cracouiæ, Sando(miriæ, S)iradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Culmensis, Elbingensis, Pomeraniæ etc. dominus et heres, significamus tenore presentium quorum interest vniuersis et singulis presentibus et futuris earum noticiam habituris, quod, etsi (ante annos) aliquot ad supplicationem ciuium Leopoliensium serenissimus olim dominus parens noster desideratissimus concesserat literas ciuitati Leopoliensi, per quas confirmavit priuilegia omnia a serenissimis antecessoribus nostris ipsi ciuitati Leopoliensi concessa, quibus diserte et copiose continetur, omnes ciuitatis Leopoliensis incolas non alibi debere quam apud ipsorum aduocatum in eorum iure, aduocatus vero coram nobis respondere ac iure conueniri, ipsosque denique ciues et alios omnes incolas ciuitatis Leopoliensis ab omnibus iurisdicionibus omnium et singulorum regni nostri procerum et officialium ac aliorum quorumcunque iudicum seu dignitariorum exemptos esse, quia tamen in eisdem literis, sic ut premissum est, concessis Armeni ciuitatem ipsam Leopoliensem incolentes non sint nominatim et specialiter expressi, supplicatum est nobis per certos consiliarios nostros pro eisdem Armenis Leopoliensibus, vt ipsis speciales predictæ libertatis et prerogatiuæ nostras literas ex gratia nostra concedere dignaremur. Quorum supplicationi annuentes, tum attendentes ipsos Armenos non minus esse debereque censeri ciues Leopolienses quam reliquos, qui eo nomine gaudent, quando quidem eandem ciuitatem incolant illiusque onera pariter et equaliter cum cæteris ciuibus ferant, ipsos Armenos Leopolienses per eas speciales literas nostras ab omnium dignitariorum, officialium, iudicum, subiudicum et aliorum quorumvis hominum iurisdicione eximendos duximus, quemadmodum presentibus literis nostris eximimus, decernentes et statuentes, ipsos Armenos Leopolienses ad nullum iudicium palatinorum, castellanorum, capitaneorum, vicecapitaneorum, iudicum, subiudicum Polonicum terrestre, castrense aut aliud quodcunque regni nostri dignitariorum,

Digitized by Google

officialium seu commissariorum nostrorum pro quibuscunque causis, magnis et parvis, criminaliter vel ciuiliter de bonis eorum quibuscunque eis intentatis euocari posse ac debere, sed omnes apud eorum aduocatum et seniores Armenos eidem aduocato annexos in iure ipsorum Armenico conueniri debere atque iustificari, aduocatus vero cum senioribus Armenis coram nobis, cum in regno fuerimus, et literis nostris sigillo nostro obsignatis euocabuntur, eodem iure suo Armenico responsuri perpetuis temporibus. Sed quoniam iudicium ipsum Armenicum constat ex aduocato ciuili et senioribus Armenis, nec vnus sine altero, videlicet aduocatus absque Armenis et econuerso, quicquam decernere vel constituere potest, ex tunc volumus et decernimus, ut, si per quempiam iudicium ipsum Armenicum de quacunque causa ad nos evocare contigerit, nonnisi simul et conjunctim ipsi seniores Armenici cum aduocato suo tanquam capite ipsorum iudicii coram nobis compareant seque vnicuique de se querenti iustificent. Quare vniuersis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, vicecapitaneis, iudicibus, subiudicibus et aliis quibuscunque dignitariis et officialibus nostris id ad noticiam deducentibus mandamus, habere volentes, ne ipsos Armenos Leopolienses et iudicium ipsorum in iudicia sua euocare audeant citareque paciantur, verum omnes et singulas eorum causas et negocia, pro quibus ad iudicia et tribunalia eorum cittabuntur extraque ius suum Armenicum eis competens euocabuntur, ad iudicium ipsum Armenicum, in quo resident, remittant et eos impetere non presumant. Quamsi quouis modo per quempiam iudicum, dignitariorum et officialium nostrorum contra prefatos Armenos et iudicium ipsorum attentatum, sentenciatum vel decretum fuerit, id irritum et nullius roboris ac momenti esse volumus, declaramus et decernimus, totumque illud cassamus et anihilamus per presentes. Si quis vero contra presentes literas nostras ipsos Armenos Leopolienses ex iure eorum Armenico euocauerit vel contra eosdem aliquid decerneret, extunc talis damna illa, quæ exinde perceperint, citati ad presenciam nostram ..... rependere tenebuntur, et nihilominus totum illud, quicquid per eos attentatum, decretum et sentenciatum fuerit, sicut premissum est, irritum et nullius roboris esse et fieri debet, tenore presencium mediante, perpetuis temporibus et in æuum. In quorum omnium et singulorum premissorum fidem et testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Craconiæ feria quinta post festa Penthecostes proxima anno domini millesimo quingentesimo quadragesimo

Digitized by Google

nono, regni vero nostri anno vigesimo, presentibus reuerendis in Christo patribus et dominis, necnon magnificis, generosis et venerabilibus Samuele Maczieiowski Cracouiensis et regni nostri cancellario, Joanne Drogiewski Chelmensis ecclesiarum episcopis, Joanne comite in Tarnow castellano Cracouiensi regni nostri exercituum generali ac Sandomiriensi, Striensi, Lubaczouiensique, Stanislao Laski palatino Siradiensi et Lanciciensi, Spithcone de Tarnow Woinicensi regni nostri thesaurario ac Brzeznicensi, Krzepicensi Krzessouiensique, Joanni Oczieski Biecensi serenissimæ dominæ parentis nostræ charissimæ curiæ magistro, succamerario et burgrabio Cracouiensi ac Biecensi, Nicolao Grabia de Grabicze Chelmensi regni nostri vicecancellario ac Lubomliensi castellanis et capitaneis nostris, Joanne Przerembski preposito Cracouiensi, Valentino Dambieniski burgrabio Cracouiensi, Jacobo Vchamski decano Plocensi, referendariis aulæ nostræ, Joanne Liutomierski curiæ nostræ thesaurario, Nicolao Miskowski mensæ nostræ incisore capitaneoque Miedzirzecensi, et aliis quam pluribus dignitariis, officialibus et aulicis nostris ad premissa existentibus. Datum per manus prefati magnifici Nicolai Grabia castellani Chelmensis regni nostri vicecancellarii Lubomlensisque etc. capitanei sincere nobis dilecti.

Nico. Grabia regni vicecancellar. sst.

Relacio eiusdem magnifici Nicolai Grabia castellani Chelmensis r. P. vicecancellarij Lubomlensique etc. capitaneo.

Grosse Pergamènturkunde mit rothem Wachssiegel an weiss-roth-grüner Seidenschnur, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XXXV.

1561. K. Sigismund August's Verbot des Übertrittes aus dem armenischen Rechte in das deutsche und Versprechen, keine solchen Übertritte mehr zu bewilligen.

Sigismundus Augustus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæque etc. dominus et hæres, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis, quod, cum venissent huc ad nos nonnulli Armenorum Leopoliensium nomine seniorum suorum tociusque eorum communitatis coram nobis exponentes, quod, etsi vigore priuilegiorum suorum a serenissimis olim antecessoribus nostris regibus Poloniæ illis concessorum, tum et vigore

Digitized by Google

decreti diui olim parentis nostri inter ipsos et ciues nostros Leopolienses lati præter c(erto)s quatuor articulos in decreto eodem expressos iure suo Armenorum gaudeant eoque vtantur, esse tamen nonnullos eorum, qui iuri illorum sese subducere et in alias iurisditiones confugere simul(que on)era debita denegare consueuerunt, itaque cum supplicatum esset nomine præfatorum seniorum tociusque communitatis Armenorum Leopoliensium, vt hac in re iuribus illorum caueremus et prospiceremus, nos (vero) racionibus illorum prospicere volentes cauendum et prospiciendum illis hisce literis nostris duximus, vti quidem cauemus et prospicimus, volumusque, vt deinceps perpetuis temporibus quilibet Armenoru(m et qu)icumque simul cum eis habitat iuribusque, prærogatiuis et libertatibus eorum vtitur, teneatur quoque et sit astrictus iure et iurisditioni eorum in omnibus parere oneraque omnia æqualiter eum eis ferre et (. . . . . .)e, qui vero iurisditioni eorum parere noluerit, vt liberum sit illis in eum ipsum iuxta iura, leges, rittus et consuetudines ipsorum animaduertere, ita videlicet, vt nemo illorum possit deinceps a iure et iurisditione illorum in alias iurisditiones confugere vel sese eximere, aut etiam literis exemptionis a nobis vel a quopiam alio concessis vel postea per nos aut successores nostros concedendis sese tutari, quominus iurisditioni et legibus eorum iuxta priora iura, priuilegia et decreta ipsorum parere debeat, promittimusque pro nobis et serenissimis successoribus nostris, quod deinceps nullas exemptionis literas (c)uique Armenorum, que iurisditionem eorum perturbare possent, daturi sumus et serenissimi successores nostri non sunt daturi. Si vero per quempiam Armenorum eiusmodi exemptionis literæ quocumque tempore a nobis vel successoribus nostris obtente et impetrate fuerint, eas nullum robur habituras esse volumus ac declaramus per præsentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Vilnæ feria sexta ante festa Pentecostes proxima anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo, regni vero nostri trigesimo secundo.

Philippus Padniewski
episcopus et vicecancell. sst.

Relatio reuerendi in Christo patris domini Philippi Padniewsky episcopi Cracouiensis et regni Poloniæ vicecancellarij.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Das Siegel ist nicht mehr daran. Die im Text zwischen Klammern stehenden Buchstaben sind aus der Urkunde herausgerissen.

Digitized by Google

XXXVI.

1563. K. Sigismund August's Sentenz in Streitsachen zwischen den Lemberger Consuln und den Armeniern, die Ausübung der Gerichtsbarkeit u. a. betreffend.

Sigismundus Augustus dei gracia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ etc. dominus et hæres, significamus præsentibus literis nostris universis et singulis præsentibus et futuris harum noticiam habituris, postquam vocati essent in iudicium nostrum literis citationum nostrarum famati proconsul, consules, advocatus et scabini totaque communitas ciuitatis nostræ Leopoliensis a senioribus ac tota congregatione Armenorum ciuitatem nostram Leopoliensem inhabitantium ideo, quia illi, non attentis in partemque reiectis iuribus, priuilegiis decretisque pro parte ipsorum Armenorum a serenissimis antecessoribus nostris concessis a nobisque confirmatis ac mandatis nostris ad eos multoties datis, ausi sint sese in iudicia illorum ingerere et jurisditionem suam passim in omnibus rebus et iniuriis vltra quatuor articulos in decreto diui parentis nostri inter eosdem lato specificatos et descriptos in illos extendere, sineque scitu et voluntate seniorum Armenorum ipsos Armenos etiam post data ad illos mandata nostra in carceribus illorum ciuilibus detinere mancipareque, neque eisdem senioribus Armenorum ad requisitionem illorum lictores seruosque ac ciuiles ad comprehendendum Armenos delinquentes concedere voluerint, immo in præjudicium iurium illorum mandatique nostri poenalis honestum Thomanum Steczkowicz iuratum Armenum hominem quietum uiolenter captum carceribus ciuilibus conijcere repaguloque duorum hostiorum carcerum minus iuste clausum mancipare detinereque, neque exceptionibus illius, quod in eo passu iurisditioni illorum non subiacebat, locum dare curaverint, quæ præmissa omnia duobus millibus aureorum aduersus eosdem estimabant. Priuatim vero extra contenta citationum querebantur prohibere eisdem proconsulem, consules, aduocatum et scabinos Leopolienses iudicia de immobilibus bonis exercere, eademque ratione causas de vulneribus cruentis eis iudicare non permittere; emptiones bonorum immobilium in ciuitate et suburbio eiusdem illis denegare; conuenticula Armenorum interdicere; seniorum Armenorum quod auctus sit numerus, ultraque sex seniores, qui iudicio

Digitized by Google

Armenico cum advocato ciuili præsident, insuper alios sex eligere prohibere, absentibusque aliis senioribus vices eorum in iudicio supplere non permittere; currus item cum mercibus illorum præter ullam iustam causam proconsulem et consules arestasse; regimen uero ciuitatis, cuius nomine ipsi Armeni iurisditioni ciuili parent, in immensum et infinitum extendere, sub pretextuque regiminis quacunque leui ex causa Armenos uocatos carceribus mancipare, nulla etiam exceptione ad seniorum Armenorum iurisditionem permissa; vigoreque eiusdem regiminis prohibere illis, ne proficiscantur in externas regiones ad emendum et uendendum merces quasuis, neque ut numerum boum aut cerae pro arbitrio suo coemant; insuper lictores pro excessivis et delinquentibus Armenis siue eorum familia nolle mittere. Ad ea famati proconsul, consules, aduocatus, scabini totaque communitas ciuitatis nostræ Leopoliensis per plenipotentes suos famatos Albertum baccalaureum et Joannem Zaleski consules, Joannem Sponer notarium ac Mathiam Socha scabinum ciuitatis eiusdem, productis binis decretis diui parentis nostri, vno de data Piotrkoniæ in conuentu generali sabbato ante dominicam Oculi anni millesimi quingentesimi decimi, altero uero Cracouiæ in conuentu generali sabbato proximo ante dominicam conductus Paschæ anno millesimo quingentesimo vigesimo tercio, allegabant, Armenos contraueniendo decretis prænominatis diui parentis nostri non solum ipsosmet seniores iurisditioni eorum ciuili parere recusare, sed aliis quoque Armenis prohibere, ne pareant, duplicique iure eosdem subesse iurisditioni ciuili vigore decretorum memoratorum, partim ratione quatuor articulorum, qui iudicio proconsulis, consulum, aduocati et scabinorum iure Maidemburgense iudicandi commissi sunt, partim etiam ratione regiminis ad defensionem bonumque regimen ciuitatis pertinentis; ex iis uero articulis primum esse, quod pro bonis et rebus immobilibus, puta hæreditatibus, domibus, hortis et agris aliisque eius generis, iudicia quæuis iurisdicioni illorum Maideburgensi competant, atque etiam in hunc diem de bonis immobilibus non alio iure præterquam Maideburgense iudicium ciuile Armenos iudicabat; alterum articulum continere, quod pro homicidiis vulneribusque cruentis et lividis ex quacunque causa commissis Armeni coram eodem iudicio ciuili iure Maidemburgensi itidem iudicandi sunt; de reliquis uero duobus articulis, vtpote uiolentiis et furtis in ciuitate et extra ciuitatem commissis, quod a iudicio ciuili iudicentur, nullam controuersiam esse; Thomam Steczkowiez Armenum contemptus et rebellionis causa proconsuli

Digitized by Google

carceribus mancipandum iussisse, quod ter obdestinatus ad residentiam consularem uenire recusauerit, causam uero obdestinationis eius fuisse, ne contra literas mandatorum nostrorum ac publicam constitutionem officii proconsularis pro nundinis in Choczim se conferre auderet, sed iuxta ueterem consuetudinem in Sniatin proficisceretur; pertinuisseque hanc constitutionem ad bonum regimen ciuitatis, ob idque, quod officio consulari parere recusauit, in eum poena carceris animadvertisse; permittereque proconsulem et consules unicuique Armeno ad officium proconsulis siue consulare uocato, quem uoluerint, consilii et assistenciæ gratia sibi adhibere et a sententia tam proconsulis quam consulari, si ea grauatum se senserit, ad nos prouocare, quod etiam ipsi Thomæ Steczkowicz facere licuit, si eadem ratione ad consules ter uocatus uenisset; conuenticula inscio et irrequisito consulatu absenteque aduocato nocturno tempore extra pretorium ciuile, tanquam locum ciuitatis publicum illis designatum, non licere facere, neque conuenticula eiusmodi, quæ ab hominibus nationis et ritus alterius fiunt, nota suspicionis carere, cuius rei gratia singularem superintendentiam officium consulare coactum fuisse habere; emptiones bonorum immobilium in ciuitate et extra ciuitatem ideo prohibere, quod ex antiqua ciuitatis illius locatione certus numerus platearum Armenis, Rutenis et Judæis designatus sit, fuisseque multas areas desertas post conflagrationem ciuitatis illius in anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo, quas magno etiam pretio soluto Armeni, Ruteni et Judæi hereditarie emissent, uerum id illis denegatum esse, ne uniuersa prorsus ciuitas ab illis occuparetur, ab eoque tempore eisdem omnibus nationibus non licere amplius plus bonorum hereditariorum obtinere, præterquam eo numero, quem nunc retinent; numerum seniorum præter sex, qui iudicio præsident, ipsos Armenos aliis sex auxisse eorumque pro arbitrio suo electionem facere, et præter duos extraneos omnes alios vinculo sanguinis coniunctos esse, neque etiam tutum fore in illa ciuitate finitima officio seniorum fungi affinitate sanguinis iunctos, siquidem et ipso iure id interdictum sit; iuramentum autem fidelitatis nobis adservandæ debere eosdem Armenos non priuatim, sed in præsentia proconsulis et consulum præstare; lictores ciuiles eis non denegare præsertim in familiam Armenorum nationis illorum carceribus mancipandam, verum absque aduocati ciuilis præsentia, qui vna cum sex senioribus Armenis causas Armenorum iudicat, non licere priuatim senioribus quenquam Armenum carceribus uel poena aliqua alia punire, ex eaque ratione, cum præter

Digitized by Google

aduocati ciuilis scientiam aliquem Armenum carceribus mancipare volunt, illis lictores denegare, sed neque etiam lictores aut carceres eis interdicere in eos Armenos, qui in censibus soluendis negligentes fuerint; currus illorum propterea arestasse, quod, cum literæ uniuersales conuentus regni in ciuitatem allatæ fuerant, multum intererat reipublicæ ciuitatis illius, ut ea de re certiores omnes redderentur, ne ignorantia sua aliquis uel publico ciuitatis, uel priuato etiam iuri suo derogaret; eam tamen arrestationem breuem admodum fuisse ad primamque requisitionem illorum arestum relaxatum esse, neque despectus alicuius Armenis inferendi id fecisse; porro quod ad regimen ciuitatis illius attinet, curare sedulo, ut omnes ciuitatis illius incolæ ad decori honestique regulam in omnibus seruandam ducantur, prouidere, ne quid sinistri accidat, ne ciuitas bello, ne seditionibus, ne insufficientia rerum, ne incendiis, ne pestilentia, pondere, mensura opprimatur, totumque denique corpus ciuitatis ita curare, ne, dum partium alteri consulunt, alteram negligant, quæ omnia, cum res postulauerit, consules maturo inter se consilio præhabito constituere, ac deinde tam Armenis, quam aliis ciuibus imprimis denunciare, quo tandem constitutio regiminis ab omnibus diligenter et inuiolato seruetur. In contrarium Armeni predicto priuilegio declarationis diui parentis nostri de data Cracouiæ sabbato ante dominicam Judica anni millesimi quingentesimi octaui, ac decreto de data Cracouiæ feria tercia proxima post festum sancti Lucæ Euangelistæ anni millesimi quingentesimi decimi octaui, tum etiam constitutionibus iuris Armenici de data in conuentu regni generali Piotrkouiensi sabbato ante dominicam Quinquagesime anni millesimi quingentesimi decimi noni, ac posteriori decreto prænominato diui parentis nostri de data in conuentu generali sabbato ante dominicam conductus Paschæ anno millesimo quingentesimo vigesimo tercio referebant, diuum parentem nostrum, cum ex designatione termini ad comparendum et producendum iura Armenica in conuentu generali Piotrkouiensi tam ipsis Armenis, quam proconsuli et consulibus Leopoliensibus a diuo parente nostro præfixi, Armenos in conuentu illo comparuisse iuraque sua ex Armenico in Latinum traducta coram maiestate paterna ac consiliariis regni produxisse, quæ quidem iura correcta authoritate maiestatis paternæ ac conuentus regni confirmata sunt, neque in conuentu illo proconsulem consulesque iuribus illorum contradixisse, vigoreque eiusmodi iurium sibi concessorum iudicia etiam de bonis immobilibus ipsorum Armenorum seniores Armenorum cum aduocato illorum ciuili ad hoc usque

Digitized by Google

tempus exercere; decretaque priora posteriori decreto diui parentis nostri limitata esse, quando quidem eodem decreto continetur, resignationes ac intromissiones bonorum immobilium hæreditariorum parique racione et recognitiones dimissionum successionis bonorum immobilium debere coram iudicio ciuili fieri, ad actaque ciuilia inscribi, ex eoque apparere, quod, posteaquam de bonis immobilibus controuersia coram iudicio Armenico decisa fuerit, tum demum resignationes, intromissiones et recognitiones diuisionum bonorum immobilium coram iudicio ciuili fieri debeant. Eodemque etiam decreto priora decreta de iudicio vulnerum limitata esse, quod in eo contineatur, delicta omnia criminalia, ut pote uiolentias et quæ vitæ priuationem honoremque ac bonam famam concernunt, seu actiones pro illis criminaliter intentatas debere ad iudicium ciuile remitti, ob idque actiones de vulneribus ciuiliter intentatas non alteri iudicio quam Armenico iuxta specialem articulum de iudicandis Armenorum vulneribus competere. Thomam Steczkowicz scabinum iudicii eorum Armenici ex præscripto decreto de Iwaskone non licuisse proconsuli sine præsentia et cognitione seniorum Armenorum carceribus mancipare, proptereaque, quod ea in parte proconsul cum consulibus violauerint priuilegii memorati declarationem, ob id eosdem poenam ducentarum marcarum pecuniæ in eodem priuilegio specificatam fisco nostro succubuisse. Neque currus cum mercibus in despectum ac diffamationem illorum arestare proconsuli et consulibus licuisse, manifesteque ex eo apparere, incarcerationem Thomæ Steczkowicz et curruum arestationem non tam regiminis alicuius causa quam in despectu et diffamatione damnumque et iacturam illorum factam esse. Conuenticula autem pro bono ordine regiminis Armenici licere eisdem facere, ideo quod in eis conuenticulis episcopum suum eligant, sacerdotes constituant, ecclesiæ reparationis pauperumque, ne vicatim mendicent, curam habeant, ibidemque et testamenta resque alias ex veteri more conficere soleant. Emptiones bonorum immobilium in ciuitate et extra ciuitatem semper illis antea liberas fuisse, compluresque esse ciues, qui bona immobilia apud Armenos coempta in hunc usque diem possident. Numerum duodecim seniorum ex articulis iuris illorum Armenici propterea concessum illis fore, vt absentibus aliis a ciuitate ij, qui præsentes sunt, locum et vices absentium suppleant, non maiorem tamen numerum quam sex seniores iudicio cum aduocato ciuili præsidere. In seniores eligere homines eos, qui morum honestate et vitæ integritate cæteros superant, neque in electione seniorum affinitatis

Digitized by Google

alicuius, quam potius honestatis et probitatis rationem ab illis haberi, ac ipsosmet Armenos ex antiqua consuetudine seniores Armenorum inter se eligere. Iuramenta uero fidelitatis nobis seruandæ ex ueteri consuetudine in ecclesia sua Armenica, etiam absente officio consulari, præstare. Eademque etiam ratione posteriori decreto nostro permissam esse potestatem senioribus Armenis, cæteros Armenos, tum etiam seruos et seruas illorum, in carcerem ciuitatis tradere, neque id in eo decreto contineri, ut duntaxat ratione census non soluti Armenos carceribus tradere debeant, verum licere illis quosuis Armenos excessiuos carceribus tradere. Ratione regiminis non excusare se, quominus iurisditioni ciuili pareant, sed proconsulem et consules extendere regimen in quamcunque rem, ac eos carceribus sub prætextu regiminis mancipare. Proconsul uero et consules Leopolienses contendebant, tam in prioribus quam posteriori decreto ac in ipsis articulis iurium Armenicorum a diuo parente nostro confirmatorum vbique quatuor articulos specificatim in debito robore conseruatos, neque illis quicquam derogatum esse, posteriorique decreto ultra priores quatuor articulos insuper alios additos esse. De resignationibus, intromissionibus, diuisionum recognitionibus coram iudicio ciuili iudicandis, itidemque et actiones vulnerum tam criminaliter quam ciuiliter intentatas coram iudicio ciuili iudicari debere. Poenam ducentarum marcarum propter incarcerationem Thomæ Steczkowicz fisco nostro non succubuisse, ideo quod initentes articulo de regimine id fecerunt, eodemque modo et currus cum mercibus arestauerint, vt de vniuersalibus literis nostris, quæ ad omnes referebantur, Armenos certiores redderent. Neque etiam Armenis unquam plures possessiones bonorum immobilium in ciuitate et extra ciuitatem coëmere, commonstrauerintque decretum diui parentis nostri de data Piotrkouiæ in conuentu generali feria sexta post festum Sancti Valentini anni millesimi quingentesimi vigesimi quinti, quo Rutenis prohibita est facultas coëmendarum plurium domorum. Seniorum numerum, quos ipsimet Armeni eligunt, esse intollerabilem. Iuramenta uero fidelitatis merito in præsentia proconsulis et consulum Armenos præstare teneri, per eosdemque seniores eligi debere. Nos cum consiliariis nostris in eo præsenti conuentu regni congregatis controuersia partium, priuilegiis iuribusque et decretis ac munimentis omnibus ad causam pertinentibus diligenter reuisis et perpensis, prospicere volentes, ne in illa ciuitate nostra amplius ullæ controuersiæ aut differentiæ propter ambiguitatem uerborum ex prioribus decretis emer-

Digitized by Google

gentem inter officium consulare et Armenos oriantur, vtque deinceps omnis occasio eis tollatur et præcludatur, ex sentencia consiliariorum omnium nostrorum de articulis supranominatis quatuor in literis decretorum et priuilegiorum diui parentis nostri specificatorum ita decernimus, elucidando primum articulum de immobilibus, quod causæ omnes de bonis immobilibus Armenorum in ciuitate et suburbio Leopoliensi sub iurisditione ciuili consistencium non per seniores Armenorum, sed per proconsulem, consules, aduocatum et scabinos ciuitatis Leopoliensis perpetuis temporibus iudicandæ erunt, idque eo modo, quod, quotiescunque causa aliqua de bonis immobilibus Armenorum tam per hominem Romanæ ecclesiæ siue alterius ritus instituta fuerit, proconsul et consules aduocatusque et scabini non alio iure causas eiusmodi iudicabunt, præterquam ex præscripto iuris Maidemburgensis, quodsi uero inter utrumque Armenum controuersia de bonis immobilibus exorta fuerit, quoque pari ratione eam proconsul, consules, aduocatus et scabini Leopolienses iuxta dispositionem articulorum iuris Armenici iudicabunt, ex ea ratione, quod successiones Armenorum diuersæ sunt successionibus iuris Maidemburgensis. Diuisiones uero successionis bonorum immobilium hæreditariorum Armeni inter se secundum præscriptum articulorum suorum facient; intromissiones tamen in bona immobilia Armenorum secundum decretum diui parentis nostri per aduocatum ciuilem et duos scabinos Armenos fieri debent, quarum recognitiones coram officio ciuili facere tenebuntur; resignationes autem et intromissiones, tum etiam diuisionum recognitiones de bonis immobilibus omnibus coram iudicio ciuili eiusdem ciuitatis secundum præscriptum posterioris decreti fieri debere. Reliqui uero tres articuli, ut pote de violenciis, de homicidiis et de furtis, debent in suo robore permanere cum ea declaracione, quod causæ omnes pro violentiis in ciuitatem et extra ciuitatem quomodolibet commissis, tum etiam causæ pro homicidiis, ac item causæ pro violentiis, et quæ vitæ privationem honoremque et bonam famam Armenorum concernunt, non per seniores Armenorum, sed per proconsulem, consules, aduocatum et scabinos Leopolienses iuri ciuili Maidemburgensi iudicari debent. Articulum uero de vulneribus ita deinceps intelligi uolumus, actiones omnes pro vulneribus Armenorum criminaliter intentatas iudicio proconsulis, consulum, aduocati et scabinorum iure Maidemburgense decidendas esse. Quodsi uero actio de vulneribus ciuilis esse cognoscetur, licebit Armenis et unicuique eorum a consulatu et iudicio scabinali se excipere ad iudicium

Digitized by Google

suum aduocati et seniorum Armenorum. De regimine decernimus, Armenos iuxta decretum diui parentis nostri in omnibus bonum regimen ciuitatis illius exposcentibus ac ad defensionem ciuitatis illius pertinentibus proconsuli et consulibus ciuitatis illius parere et obedire tenere; regimen uero ita declaramus, quod temporibus ab hoste uel bello suspectis plena et absoluta facultas regiminis sit pænes consulatum, transgressoresque Armeni constitutionis regiminis de defensione ciuitatis iuxta demeritum poena per proconsulem et consules puniendi sunt, in his vero, quæ ad politicum ordinem pertinent, utpote de prouisione ignis, pestilentiæ, victus et aliarum rerum pro decoro, commodo, honesto et utilitate ciuitatis pertinentium, quæcunque unanimi et communi consensu a consulatu totaque communitate ciuium et Armenorum laudata et constituta fuerint, Armeni omnia tenere et obseruare tenebuntur sub poena non alia quam carceris, quæ de unanimi consensu omnium circa constitutionem promulgata et publicata fuerit. Ratione cuius regiminis quotiescunque Armeni a proconsule et consulibus per honestam familiam ciuilem uocati fuerint, coram eis comparere ac poenam carceris, ut præmissum est, ex consensu unanimi tam proconsulis, consulum, communitatisque ciuium, quam etiam Armenorum Leopoliensium circa constitutionem regiminis promulgatam sustinere tenebuntur. Liberum autem erit Armenis, posteaquam coram proconsule et consulibus comparuerint, si animaduerterint negotium, cuius nomine uocati fuerint, ad iudicium proconsulis et consulum non pertinere, se excipere ad aduocatum ciuilem et seniores Armenorum, quam exceptionem proconsul et consules illis admittere eosque ad aduocatum et seniores Armenorum remittere debebunt. In omnibus autem aliis actionibus et causis præter quatuor articulos superius recensitos Armeni coram aduocato ciuili et senioribus Armenorum comparere et unicuique de se querenti secundum tenorem et dispositionem articulorum iuris Armenorum iustificare tenebuntur astrictique erunt. Incarcerationem Thomæ Steczkowicz non probamus in eo casu, decernimusque in posterum, ut a proconsule et consulibus deliberatius causa cognoscatur, prinsquam ad incarcerationem perventum fuerit. De arrestatione curruum cum mercibus Armenorum decernimus, quoniam non clare constat proconsulem et consules arestationem in derogationem literarum mandati nostri aut contemptum et diffamationem Armenorum fecisse, ideo ab hac impetitione proconsulem et consules liberos et absolutos facimus. Deinceps uero proconsul et consules literis mandatorum nostrorum ea, qua par

Digitized by Google

est, reuerentia deferent, neque quicquam in derogationem priuilegii diui parentis nostri aut decretorum committent, sub poena in eodem priuilegio specificata. Quod uero ad præscriptum numerum domorum Armenicarum attinet, quandoquidem ad præsens neque consulatus docuit, minorem esse debere quam nunc est, neque etiam Armeni comprobauerunt, maiorem illis concessum, relinquimus Armenis liberum esse eum numerum domorum obtinere, quem nunc habent; quodsi tamen deinceps Armeni legitimis et authenticis documentis comprobauerunt, vltra eum, quem nunc possident, maiorem eis antea concessum fuisse numerum, tum licebit illis numerum domorum, quem prius habuerunt, parem æqualemque obtinere. Et quoniam coram nobis euidentibus causis proconsul et consules non edocuerunt neque comprobauerunt, conuenticula Armenorum in domo illorum priuata ad instar pretorii per Armenos, ut asseritur, constructa esse suspecta, ... relatione fidedignorum intelleximus, Armenos religionis et aliorum priuatorum negotiationum suorum causa, non tamen ad iudicia exercenda, conuenire solere, ... id decernimus, Armenis conuenticula licere facere; si tamen in posterum legitima causa interueniente per consules probatum fuerit, quod eadem suspicioni obnoxia fuerint, tum poenam arbitrio nostro irrogandam contra Armenos nobis reseruamus. Neque etiam proconsul et consules senioribus Armenorum ac uniuersæ congregationi illorum, quotiescunque necessitas exposcet, locum in prætorio ciuili denegare debent. De numero duodecim seniorum Armenorum, eo perpenso, quod vigore iurium Armenorum electio duodecim seniorum permissa est, Armenos ex ea ratione, vt ii, qui præsentes sunt, absentium vices in iudicio Armenico sustineant, ob id decernimus, Armenos secundum præscriptum articuli in iure Armenico contenti duodecim seniores eligere debere, non amplius tamen duntaxat sex seniores cum aduocato ciuili iudicio Armenico præsidebunt. Tenebuntur autem seniores Armeni circa electionem annis singulis iuramentum fidelitatis nobis seruandæ sermone vulgari Polonico in præsentia eorum præstare, quos capitaneus noster Leopoliensis pro tempore existens ex officio suo atque ipsi quoque consules itidem ex officio suo ad id deputanerint miserintque. Insuper decernimus, quotiescunque proconsul et consules a senioribus Armenis requisiti fuerint pro familia ciuili ad incarcerandos excessiuos et delinquentes tam Armenos ipsos quam seruos et seruas illorum, qui non fuerint Romanæ ecclesiæ, tum proconsul et consules sine ulla exceptione familiam ciuilem mittere atque carceres ad mancipandos excessiuos

Digitized by Google

Armenos seruosque et seruas illorum concedere debent. Reliquos uero omnes articulos, de quibus ad præsens controuersia coram nobis non intercessit, in priuilegiis et decretis diui parentis nostri contentos utrique parti in robore debito conseruamus, hoc nostro decreto mediante. In cuius rei fidem sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Datum Petricouiæ in conuentu generali regni feria secunda ante festum Sanctæ Agnetis proxima anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo tercio, regni uero nostri anno trigesimo tercio.

Joannes Ocieski
r. P. canc. sst.

Relacio magnifici Joannis de Ocziessino regni Poloniæ cancellarii, Cracouiensis generalis, Oswieczimensis, Zatoriensis, Samboriensis, Olstinensisque capitanei.

Grosse Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396, mit rothem Wachssiegel an grünrother Seidenschnur.

XXXVII.

1574. Die Lemberger Consuln gestatten den Armeniern den Ankauf von Gärten und Grundstücken.

Consules ciuitatis Leopoliensis significamus tenore præsentium, quibus expedit, vniuersis præsentibus ac futuris, quia nos ad instantem petitionem et affectationem famatorum Armenorum ciuilium Leopoliensium adducti et permoti iustis, certis legitimisque illorum rationibus ac præsertim, posteaquam ea pars ciuitatis huius Leopoliensis, quam ijdem Armeni vicinis alijs inhabitant, diuina permissione ex incendio et ex vehementi admodum ignis inclementia damna multa et maxima subiisset, struesque lignorum, stabula, et foeni, straminum, curruumque ac aliorum id genus domesticorum apparamentorum copia in domibus eorundem non solum impedimenta defensionis tum præstitissent, verum et ardorem flammamque illius incendii vltra modum auxissent: ob tantum deinceps, quod deus auertat, periculum, ex causa tam necessaria et ex conditionibus infracontentis per senatus nostri consultum, accedente quoque ad id plebis totius scitu et consensu, concessimus et admisimus iisdem Armenis ciuilibus, hoc est, intra moenia tantum possessionatis (qui scilicet prædia et hortos extra eam ciuitatem in suburbio etiam sub alia quapiam iurisditione nullos habent), ad eorum domos lapideas in eadem

Digitized by Google

ciuitate consistentes, quibus id opus et necesse fuerit, singulos hortos seu prædia, sub iure et iurisditione nostra ciuili, titulo hæreditario seu quouis alio modo et contractu emere, acquirere, per inscriptiones, resignationes et obligationes obtinere, possidere ac ita vtifrui, vt solum ibidem, prout præfertur, lignorum, curruum, foeni, straminum depositoria stabulaque habeant: in domibus vero, si illic forte extiterint, nulla sint diuersoria seu cauponæ, nullæ quorumlibet potuum propinationes nec reuenditiones, nulli extraneæ iurisditionis vel qui ius obedientiamque ciuilem refragarent, conductores, nulla denique hospitum aduenarum extraneorum ac mercatorum absque scitu officii nostri receptacula; tum demum, ut quiuis eorundem hortorum possessor seu conductor in vna suburbanorum communitate seniorumque ibidem constitutorum præfectura æqualem cum aliis obedientiam, labores vulgo scharwarki dictos, custodias, vigilias, armaturae expeditiones, census et alia quæuis onera, ex fundo illo ciuitati prouenientia et obligata, absque omni refragatione semper subeant, pendant et exoluant. Pro iniuriis autem occasione præmissorum, et quæ mere ipsum fundum aliquo modo tangunt et attinent, non coram illorum Armenicali vel quouis etiam alio, sed tantum coram officio, iudicio et aduocato ordinario nostro ciuili Leopoliensi parere semper, respondere, ac sese iustificare debebunt eruntque sine ulla exceptione adstricti. Cæterum alienare quoque aut obligare vnquam ijdem Armeni præfati bona talia empta et acquisita nulli alteri nec alio modo poterint, præterquam homini obedientiæ et iurisditionis ciuilis: et id quidem nonnisi coram nobis actisque nostris consularibus præsentibus, atque cum speciali requisitione, scitu, consensu et approbatione nostra seu consulum Leopoliensium pro tempore existentium, videlicet stantibus semper iisdem, prout præmissum est, conditionibus, pactis et conuentis, ac per omnia iuribus eiusdem ciuitatis, priuilegiis, tum decretis inter nos et eosdem Armenos antiquitus et ad præsens habitis saluis, illæsis, et in suo debito robore permanentibus, ita quod ijsdem hac concessione præsenti nihil prorsus derògari nec quicquid minui aut detrahi debet. In quorum fidem sigillum nostrum præsentibus est appressum. Actum Leopoli feria quinta post dominicam Inuocauit proxima, anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Andreas Madrowicz,
notarius c. L. m/p.

Papierurkunde mit eingedrücktem Stadtsiegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

Digitized by Google

XXXVIII.

1574. K. Heinrich's Confirmatorium aller Rechte, Freiheiten und Gewohnheiten der Armenier.

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Henricus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Litwaniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Culmensis, Elbingensis, Pomeraniæ, Kiouiæ, Wolhiniæ, Podlachiæ, Liuoniæque etc., nec non dux Andium, Borboniorum, Aluernorum, comes Marchiæ, Foresti, Quercii, Rouergii et Montisfortis etc. significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, uniuersis et singulis harum noticiam habituris tam præsentibus quam futuris, quia, licet in sacris maiestatis nostræ primitijs hic Craccouiæ nuper celebratis, cum scilicet principes spirituales et seculares cæterique prælati et barones, status ac ordines omnes regni nostri augustæ nostræ aderant inaugurationi et coronationi, uniuersa iura et priuilegia per diuos olim antecessores nostros principes et reges Poloniæ omnes subditis nostris quibuscunque tam spiritualibus quam secularibus, tam in regno Poloniæ quam et in aliis prouincijs ac dominijs regno vnitis, adiunctis et incorporatis data et concessa confirmauerimus, eaque nos sancte et inuiolabiliter obseruaturos vigore præstiti a nobis iuramenti obligauerimus, quia tamen in conuentu præsenti fælicis coronationis nostræ existentes, venientes ad præsentiam nostram fideles subditi Armenorum nuncij ciuitatis nostræ Leopoliensis suo et communitatis Armenorum ibidem consistencium nomine nobis humiliter supplicarunt, vt omnia iura, priuilegia, literas, libertates, prærogatiuas, immunitates ipsis Armenis Leopoliensibus et ipsorum communitati a serenissimis antecessoribus nostris regibus alijsque concessas, insuper et consuetudines, quibus hucusque vsi sunt, specialibus nostris literis authoritate nostra regia approbare, confirmare et ratificare dignaremur, nos ipsorum nunctiorum nomine communitatis Armenorum Leopoliensium supplicationi ut iustæ et æquitati consonæ benigne annuntes, censentes omnia priuilegia, iura, donationes, literas, libertates, prærogatiuas, exemptiones, immunitates, quibus ipsi Armeni eorumque communitas gaudet, iuste et legittime ipsis per serenissimos antecessores nostros

Digitized by Google

publice et priuatim concessas, quas hic pro specialiter et singillatim insertis et expressis de verbo ad verbum habere volumus tam in genere quam in specie, generalitati per specialitatem et specialitati per generalitatem in nullo derogantes, in quorum tamen vsu hucusque extiterunt, in omnibus earum punctis, clausulis, articulis et conditionibus, insuper et consuetudines, quibus hucusque vsi sunt et vtuntur, approbandum, ratificandum et confirmandum duximus, approbamusque, ratificamus et confirmamus præsentibus literis nostris, decernentes ea omnia iura, priuilegia, donationes, literas, libertates et immunitates ac consuetudines robur debite et perpetue firmitatis obtinere debere. Quamobrem vniuersis et singulis cuiuscunque status, gradus et conditionis hominibus, nominatim autem generoso Nicolao Herborth capitaneo nostro Leopoliensi, necnon et proconsuli cum consulibus, aduocato et scabinis modernis et pro tempore existentibus mandamus omnino habere volentes, vt eosdem Armenos nostros Leopolienses in omnibus eorum iuribus, priuilegijs, libertatibus et prærogatiuis conseruetis, manuteneatis et defendatis, ac conseruari, manuteneri defendique faciatis, pro gratia nostra et debito officiorum vestrorum seeus non facturi. In cuius rei fidem sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Datum Cracouiæ in comitijs generalibus augustæ coronationis nostræ, die duodecima mensis Marcij anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, regni vero nostri primo, præsentibus reuerendissimis et reuerendis in Christo patribus dominis Jacobo Vchanski archiepiscopo Gnesnensi, legato nato et regni nostri primate, Stanislao Slomowski archiepiscopo Leopoliensi, Francisco Krassinski Cracouiensi, Stanislao Karnkowsky Wladislauiensi et Pomeraniæ, Adamo Konarski de Kobilino Posnaniensi, Petro Miskowski Plocensi, Alberto Starozrzebski Chelmensi, Dionisio Szeszigniewski Camenecensi episcopis, necnon magnificis, venerabilibus et generosis Sebastiano a Mielecz castellano Craccouiensi et Brzestensi Cuiauiensique, Joanne Fierlei de Dambrouicza Craccouiensi et Rohatinensi, Nicolao Radziwil duce in Dubniki Wilnensi, cancellario magni ducatus Lithuaniæ et Lidensi, Mohirensi Borossouiensique, Petro a Zborow Sandomiriensi et Stobnicensi Camionecensique, Casparo Zebrzidowski Lanciciensi et Przedecensi, Joanne Kotkiewicz comite in Szklow capitaneo generali terrarum Samogitiæ et magni ducatus Lituaniæ marschalko et Connensi, Plotelensi, Joanne a Szluzewo Brzestensi et Koninensi, Basilio Constantinowicz duce Ostrosiæ, Kiouiæ et terrarum Wolhiniæ marschalko ac Wlodimiriensi, Joanne Orotowski de Barczin

Digitized by Google

Iuwladislauiensi, Georgio Jaslowieczki de Buczacz Russiæ et exercituum regni nostri campestri præfecto ac Linbaczuiensi, Czerwonogrodensi, Nicolao de Mielecz Podoliæ et nonæ ciuitatis Korczin Grodecensique, Stanislao Lawski de Strzegoczino Masouiæ et vicesgerenti ibidem, Fabiano Czema Mariemburgensi et Staragardiensi palatinis et capitaneis, nec non Petro a Czarnkow Poznaniensi et Babimostensi, Iheronimo Ossolinski Sendomiriensi et Krzessouiensi, Joanne de Thomicze Gnesnensi, Joanne comite in Thenczin Woiniciensi et Lublinensi, Stanislao Herborth de Fulstin Leopoliensi et Drobicensi Samboriensique ac Russiæ zuppario, Iheronimo de Sreniawa Camenecensi et Haliciensi, Sigismundo Wolski de Podhaicze Czernensi et Warschauiensi, Joanne Kostka de Stangemberg Gedanensi et Prussiæ thesaurario ac Mariemburgensi, Stanislao Szaffraniecz de Pieszkowa skala Biecensi Lelouiensique, Joanne Herborth de Fulstin Sanocensi et Przemisliensi, Stanislao comite a Tarnow Czechouiensi castellanis et capitaneis, Joanne Fierlei de Dambrouicza regni nostri, Joanne Chodkiewicz magni ducatus Lithuaniae, Petro Opalinski regni curiae, Nicolao Christophero Radziwil magni ducatus Lithuaniae curiae marchalcis, Valentino Dembiensk de Dembiani regni cancellario ac Wartensi capitaneo, Iheronimo Buzenski regni thesaurario ac zuppario Craccouiensi, Erasmo Dembienski decano Craccouiensi ac cantori Sandomiriensi, Johanne Zaborowski præposito Sandomiriensi, Joanne Valentino Jacubowski, Paulo Kossakowski secretariis nostris, et aliis quamplurimis dignitariis, officialibus et aulicis nostris testibus fidedignis. Datum per manus supranominati Valentini Dembienski regni Poloniæ cancellarij sincere nobis dilecti.

Valentinus Dembyensky
r. P. cancell. sst.

Relatio magnifici Valentini Dembienski de Dembiani regni Poloniæ cancellarij.

Pergamenturkunde mit stark verletztem rothen Wachssiegel an gelb-weiss-blauer Seidenschnur im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XXXIX.

1576. K. Stephan's Confirmatorium aller Rechte, Freiheiten und Gewohnheiten der Armenier.

In nomine domini amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Stephanus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, necnon terrarum

Digitized by Google

Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Culmensis, Elbingensis, Pomerauiæ, Kiiouiæ, Wolhiniæ, Podlachiæ, Liuoniæ, nec non princeps Transyluaniæ etc. significamus præsentibus litteris nostris, quorum interest, uniuersis et singulis harum noticiam habituris tam præsentibus quam futuris, quia, licet in sacris maiestatis nostræ primitiis hic Cracouiæ nuper celebratis, cum scilicet principes spirituales et seculares cæterique prælati et barones, status ac ordines omnes regni nostri augustæ nostræ aderant inaugurationi et coronationi, vniuersa iura et priuilegia per diuos olim antecessores nostros principes et reges Poloniæ omnes subditis nostris quibuscunque tam spiritualibus quam sæcularibus, tam in regno Poloniæ quam et in aliis prouinciis ac dominiis regno vnitis, adiunctis et incorporatis data et concessa confirmauerimus, eaque nos sancte et inuiolabiliter obseruaturos vigore præstiti a nobis iuramenti obligauerimus, quia tamen in conuentu præsenti felicis coronationis nostræ existentes, uenientes ad præsentiam nostram fideles subditi Armenorum nuncij ciuitatis nostræ Leopoliensis suo et communitatis Armenorum ibidem consistentium nomine nobis humiliter supplicarunt, vt omnia iura, priuilegia, litteras, libertates, decreta, (præ)rogatiuas, immunitates ipsis Armenis Leopoliensibus et ipsorum communitati a serenissimis antecessoribus nostris regibus aliisque concessas, insuper et consuetudines, quibus hucusque vsi sunt, specialibus nostris litteris autoritate nostra regia approbare, confirmare et ratificare dignaremur, nos ipsorum nunciorum nomine communitatis Armenorum Leopoliensium supplicationi vt iustæ æquitatique consonæ benigne annuentes, censentes omnia priuilegia, iura, donationes, litteras, libertates, prærogatiuas, exemptiones, immunitates, decreta, quibus ipsi Armeni eorumque communitas gaudet, iuste et legittime ipsis per serenissimos antecessores nostros publice et privatim concessas, quas hic pro specialiter et singillatim insertis et expræssis de verbo ad verbum habere volumus, tam in genere quam in specie, generalitati per specialitatem et specialitati per generalitatem in nullo derogantes, in quorum tamen vsu hucusque extiterunt, in omnibus earum punctis, clausulis, articulis et conditionibus, insuper et consuetudines, quibus hucusque vsi sunt et vtuntur, approbandum, ratificandum et confirmandum duximus, approbamusque, ratificamus et confirmamus præsentibus litteris nostris, decernentes ea omnia iura, priuilegia, donationes, litteras, libertates et immunitates ac consuetudines robur debitæ et perpetuæ firmitatis obtinere debere. Quamobrem vniuersis et singulis cuiuscun-

Digitized by Google

que status, gradus et conditionis hominibus, nominatim autem generoso Nicolao Herborth capitaneo nostro Leopoliensi, nec non et proconsuli cum consulibus, aduocato et scabinis modernis et pro tempore existentibus mandamus omnino habere volentes, vt eosdem Armenos Leopolienses in omnibus eorum iuribus, priuilegiis, libertatibus et prærogatiuis conseruetis, manuteneatis et defendatis, ac conseruari, manuteneri, defendique faciatis, pro gratia nostra et debito officiorum vestrorum secus non facturi. In cuius rei fidem sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Datum Craconiæ in comitiis generalibus augustæ coronationis nostræ, die vigesima prima mensis Maij anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, regni vero nostri anno primo, præsentibus reuerendis in Christo patribus dominis Francisco Krassinski Cracouiensi, Alberto Starozrzebski Chelmensi, Luca Koscieleczki Præmisliensi episcopis, necnon magnificis, venerabilibus et generosis Va(len)tino Dembienski de Dambiani castellano Cracouiensi, Petro a Zborow palatino et generali Cracouiensi, Stobinczensi Kamioncicensique capitaneo, Joanne Kostka a Stemberg Sandomiriensi et Mariemburgensi Pucensique, Casparo Zeprzidowski Calissiensi, Joanne Sierakowski Lanciciensi et Przedecensi, Nicolao Tarlo de Szczekarzowicze Lublinensi ac Pilznensi, Andrea de Thenczin Belzensi, Nicolao Kiska Podlachiensi palatinis et capitaneis, tum Stanislao Herburth de Fulstin Leopoliensi et Samboriensi, Drohobicensi ac zupparum Russiæ et Bidgostiæ præfecto, Stanislao Saffraniecz de Pieskowa skala Biecensi et Lelouiensi, Andrea Dembowski Siradiensi et Lenciciensi, Joanne a Thenczin Voiniciensi et Lublinensi Parczouiensique, Nicolao Ligeza de Bobrek Zawichostensi et Biecensi, Christophero Lanczkorunski de Brzezie Malagostensi, Joanne Chrzistoporski de Chrzistoporzicze Wielunensi, Joanne Herburth de Fulstin Sanocensi et Præmisliensi, Paulo Dzialinski Dobrzinensi, Sigismundo Czizowski Belzensi castellanis et capitaneis, Petro Dunin Volski cancellario, Joanne Zamoiski vicecancellario ac Belzensi, Knissinensi, Zamechensi capitaneo, Hieronimo Buzenski de Buzenin thesaurario regni nostri et Brzeznicensi, Dopcziczensi Krzeczouiensique capitaneo ac zupparum Craconiensium præfecto, Andrea de Zborow curiæ regni nostri marschalco et Radomiensi capitaneo, Stanislao Ossowski curiæ nostræ referendario, Erasmo Dembienski de Dambiani decano Cracouiensi cantore Sandomiriensi, Joanne Borkowski præposito Lanciciensi, Joanne Zaborowski præposito Sandomiriensi, Andrea Patricio Nideczki iuris vtriusque doctore et archidiacono Vilnensi ac Varso-

Digitized by Google

uiensi canonico, Laurentio Gosliczki canonico Cracouiensi et Sandomiriensi, Mathæo Misiowski burgrabio Cracouiensi, Bartholomeo Grazimowski, Paulo Kossakowski secretariis curiæ nostræ, ac aliis quam plurimis dignitariis, officialibus et aulicis nostris testibus fidedignis. Datum per manus supranominati Joannis Zamoiski regni Poloniæ vicecancellarii ac Belczensis, Knisinensis, Zamechensisque capitanei sincere nobis dilecti.

Stephanus Rex m/p.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Das Siegel sammt der Schnur ist nicht mehr vorhanden.

XL.

1578. K. Stephan's Sentenz, dass die Armenier der bürgerlichen Rechte und Prärogative gleich den anderen Bürgern theilhaftig sein sollen.

Stephanus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiouiæ, Woliniæ, Podlachiæ, Liuoniæ etc., princeps Transyluaniæ etc. significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, vniuersis et singulis præsentibus et futuris harum noticiam habituris, quia, cum causam et actionem inter seniores ac totam communitatem Armenorum actores ab vna, et famatos proconsulem et consules, aduocatum et scabinos totamque communitatem ciuitatis nostræ Leopoliensis citatos parte ab altera exortam, specialibus literis nostris aduocassemus, terminoque certo in ipsis literis aduocationis citatis coram nobis et iudicio nostro comparendi præfixo, ratione denegatarum prohibitarumque ipsis Armenis libertatum, quibus ab antiquis temporibus antecessores Armenorum vtebantur, aliarumque iniuriarum, quibus hactenus aggrauabantur, non attento eo, quod ipsi Armeni inter communitatem connumerentur, ac contribututiones ex æquo pendant, subordinationisque contuberniorum, ne ad vtifruitionem præmissorum ac libertates ciuiles admittantur aut saltem in eis præpediantur, quemadmodum ea omnia in ipsis aduocationis nostræ literis latius habentur descripta, in terminoque hodierno iudicii relationum nostrarum propriarum ex ipsa aduocatione nostra proueniente et hucusque continuato partibus ipsis per se coram iudicio nostro comparentibus et terminum eum iudicialiter attentantibus: actorea quidem articulos sequentes proponente, nempe a citatis ipsis sibi denegari pannos prætiosos in domibus

Digitized by Google

suis antiquitus diuendi solitos diuendere, nacuasque cameras alias okna ad diuendendos pannos conducj non admittere, atque artificia mechanica laboranda et exercenda per ipsos prohibere, denique omnes liquores propinandos et conficiendos in domibus Armenorum nouo quodam instituto suo interdicere; citatis vero priuilegia sua producentibus atque allegantibus, Armenos propter disparitatem linguæ et religionis pares ipsis non esse, et tantummodo ad libertates depositorii et non soluendorum theloneorum admissos, ac certis libertatum limitibus vltra reliquos ciues Leopolienses inclusos esse, quod ex priuilegiis eorum originalibus locationis, si producerentur, ellici posset. Ad ea Armeni allegabant, nullum se locationis et fundationis priuilegium habere, verum ex æquo cum aliis ciuibus ad omnes et singulas libertates huc vocatos et adscitos fuisse. Quibus cum eo nomine a citatis iuramentum defferretur, decreuimus teneri ex senioribus primariis ordine tres Armenos iuramento corporali comprobare, quod nulla priuilegia originalia fundationis et locationis suæ haberent, neque eadem vnquam celauerint et suppresserint. Quod quidem iuramentum posteaquam in præsentia ministerialis terrestris generalis prouidi Stanislai Chabowsky ad eum iuramenti actum a nobis deputati, parte citata præsente ac iuramentum attentante, præstitissent, ac denuo partes vtræque coram nobis et consiliariis nostris controuersias suas repetiissent priuilegiaque sua produxissent, in eorumque vsu et possessione fuisse contendissent ac iuramentis suis probaturos se id ipsum obtulissent, nos cum consiliariis nostris lateri nostro assidentibus, audita et examinata partium ipsarum controuersia priuilegiisque coram iudicio nostro ab vtraque parte productis reuisis ac debito modo expensis, qvoniam ex iuribus et priuilegiis ciuilibus coram nobis et iudicio nostro productis manifeste apparet, eadem iura et priuilegia omnibus in genere ciuibus ab antecessoribus nostris concessa esse, nec Armenos a communitate ciuili prærogatiuisque et libertatibus ciuilibus quibusuis præscripto ipsorum iurium et priuilegiorum decretorumque exclusos esse, propterea decreuimus, Armenos ipsos eijsdem quoque iuribus et prærogatiuis ciuilibus quoad commoda sicut alii ciues gaudere debere, ita tamen, vt non excedant antiquum vsum et præscriptum iurium, decretorum et priuilegiorum consuetudinumque ciuilium, ac in omnibus iura, ordinem, consuetudines antiquas istius ciuitatis ex æquo cum aliis ciuibus seruent et adimpleant, neue regimen, iurisditionem et gubernationem ciuilem hactenus vsitatam turbent et impediant. Quod attinet propinationem liquorum,

Digitized by Google

ea libera eis esse debet sicut et aliis ciuibus. Quod vero attinet incisionem pannorum prætiosorum et rerum serricearum, ipsi Armeni æquo jure cum cæteris ciuibus ea frui debent. Præterea ad fenestrarum incidendis omnis generis pannis ordinatarum et priuilegiatarum vsum et ad prærogatiuam pannicidarum communiter słowo dictam more aliorum ciuium admitti quoque debent, modo non excedatur numerus fenestrarum seu pannicidarum censualium, vt in omnibus ordo pristinus et consuetudines antiquæ in hac ciuitate seruarj solitæ seruentur. Postremo quoque ad artificia quæuis adiscenda, laboranda ac exercenda admittj debent modo aliorum ciuium, eisque suprarecensitis libertatibus vti debent sicut et alij ciues iuxta præscriptum ivrium, priuilegiorum, ordinationum et consuetudinum ciuilium, quibus sicut et alii ciues subesse debent, saluis etiam ipsorum Armenorum legibus et iudicijs, quæ specialia habent, hoc nostro decreto mediante. In cuius rei fidem et euidentius testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Leopoli feria secunda post festum visitationis gloriosissimæ virginis Mariæ proxima, anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, regni vero nostri anno tertio.

Joannes Borukowski r. P. vicecancell. sst.

Relatio reuerendi Joannis Borukowsky de Bielino regni Poloniæ vicecancellarij præpositj Lancitiensis decani Warschauiensis etc.

Leonardus Borutha (?) N. C. R. M. m/p.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Siegel sammt Schnur weggerissen, wodurch auch die Urkunde stark litt. Einer Bemerkung auf der Aussenseite der Urkunde nach (Decretum hoc laceratum est per Svecos Stante eorum hostile incursione a. 1704) geschah dies durch die Schweden im Jahre 1704. Die grossen Buchstaben sind mit Gold überschrieben und der Anfangsbuchstabe prächtig ausgemalt.

Im selben Fascikel liegt auch eine besiegelte Ausfertigung dieses Privilegiums auf Papier.

XLI.

1584. K. Stephan's Mandat an den Stadtmagistrat betreffs der Anwendung des neuen Kalenders.

Stephanus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ etc. princeps Transyluaniæ,

Digitized by Google

famatis proconsuli et consulibus cæterique magistratui ciuitatis nostræ Leopoliensis fidelibus nobis dilectis gratiam nostram regiam. Famati fideles nobis dilecti. Intelleximus Armenos et ritus Græci homines ciuitatis Leopoliensis incolas pertinaciter in retinendo veteri calendario permanere, neque quidquam datis a nobis ante hac ad se huius rei interdictis commoueri. Quapropter volumus et fidelitati vestræ mandamus, vt omnibus istius ritus et religionis hominibus serio pro officio suo etiam edicant, ne religionem suam aut veteris calendarii cursum obseruando incidentia ecclesiæ catholicæ festa prophanare et violare audeant. Quodsi reperti fuerint aliqui, qui festis secundum cursum reformati calendarii diebus aut operas et artificia exercere aut merces venundare et institas aperire ausi fuerint, eos tam mercium quam elaboratarum rerum priuatione nullo alicuius respectu puniant. Neque secus fidelitates vestræ faciant pro officio suo gratiaque nostra. Datæ Grodnæ die IX mensis Januarii anno domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, regni nostri octauo. Stephanus rex.

Albertus Baranowski.

Aus einem Transsumt des Lemberger Consularamtes d. d. Leop. Sab. p. f. Bartholomæi Apostoli 1603, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XLII.

1585. K. Stephan's Sentenz in einem Rechtsstreite zwischen einem Armenier und den Lemberger Schöffen, des ersteren gefänglicher Einziehung, Anhaltung und Kautionsbestellung halber.

Stephanus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ etc. princeps Transyluanie, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, citatos fuisse ad nos et iudicium nostrum literis citationis nostræ secundæ famatos aduocatum et scabinos ciuitatis nostræ Leopoliensis ex officiis bonisque ipsorum omnibus ad instantiam honesti Bochdani Donowaliowicz Armeni protunc magnifici Stanislai comitis a Gorka pallatini Posnaniensi etc. seruitoris, occasione cuiusdam sui per lictores ciuiles captiuacionis et carceribus detentionis ac postea fideiussoriæ cautionis statuitionis, in graue damnum et præiudicium ipsius actoris, quod sibi contra ipsos ultra poenas legum et poenam talionis ad decem millia florenorum taxabat et aestimabat, salua nihilominus præfato magni-

Digitized by Google

fico pallatino Posnaniensi domino suo actione reservata, vti ea latius in ipsis citationis literis continentur. In termino itaque hodierno ex eadem citatione legitime incidente et in hunc vsque diem continuato partibus præfatis, actorea per honoratum Joannem Grad, citata vero per nobilem Joannem Sczatobskj procuratores suos coram iudicio nostro comparentibus terminumque eiusdem citationis iudicialiter attentantibus, et actorea contenta suæ citationis actu iudicii ciuilis Leopoliensis deducente, citata vero se in eo processu morem et consuetudinem in iudicandis iniuriarum actionibus supra hominum memoriam obseruatam sequutos esse respondente, eorum omnium inter actorem et Hołub Armenum iudicialiter factam producente eaque omnem hanc controuersiam sepultam esse comprobante, nos cum consiliariis et iurisperitis nostris, eo considerato, quod citati freti suis consuetudinibus talem processum agressi sunt, nec minus eo, quod hæc iniuria transactione partium sopita est, citatos a causa et impetitione actoris absoluimus liberosque pronunciauimus. Cum autem videamus actorem iustam causam vocatorum in ius citatorum habuisse, si quidem paulo præcipitantius cum illo actum est, ideo damna et litis expensas vtrinque compensauimus, quemadmodum absoluimus, compensamus et pronunciamus presenti decreto nostro mediante. In cuius rei fidem sigillum nostrum est præsentibus appressum. Datum Cracouiæ feria quarta in vigilia sancti Jacobi apostoli anno domini millesimo qningentesimo octuagesimo quinto, regni vero nostri anno decimo.

Alb. Baranowsky
r. P. viceeancellar. m/p.

Relatio reuerendi in Christo patris domini Alberti Baranowskj episcopi Præmisliensis r. P. viceeancellarii.
Paulus Sczerbicz m/p.

Papierurkunde mit Siegel im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XLIII.

1587. Verzeichniss der Grodecker Schöffen über die in ihren Gerichtsacten vorgefundenen Einschreibungen von Rechtsgeschäften bezüglich auf unbewegliche Güter der Stadt Lemberg und ihrer Vorstädte.

Aduocatus et scabini ciuitatis Grodecensis vniuersis et singulis quorum interest tenore præsentium significamus, repertas esse in actis

Digitized by Google

nostris iudiciariis certas inscriptiones super bona immobilia tam in ciuitate Leopoliensi quam in suburbiis eius consistentia, incipiendo ab anno domini millesimo quingentesimo octuagesimo septimo vsque ad annum domini millesimum quingentesimum nonagesimum septimum, quas homines catholicæ religionis hominibus ritus et professionis Armenorum diuersis temporibus vendiderunt. Quarum venditionum series infra sequitur:

Et inprimis anno domini 158 septimo feria quarta Cinerum Joannes Woinar et Catherina coniuges inscripserunt debitum mille florenorum Philippo Wasilowic et filio eius, oppignorantes certas habitationes in domo sua lapidea sub vadio simili.

Anno 158 septimo feria sexta post Francisci Joannes Psik et Anna coniuges quartam agri cum horto illi contiguo penes Simonis sacrifici Armenorum vendiderunt Murato Kierymowic flor. centum quadraginta.

Anno 158 septimo feria quarta post festum sancti Thomæ Petrus Borbon cum Heduigi vxore nec non Paulus et Dominicus Romanus ambo artis muratoriæ socij hortum in suburbio Cracouiense penes Andrijlo et domum hospitalis S. Stanislai vendiderunt Jacobo Serebkowicz Armeno florenis sexcentis.

Anno 15 nonagesimo feria tertia post Valentini Joannes Psikowic, Albertus Chmura et Jacobus Szalonij vendiderunt sortes suas horti et agri Psykowsky Murato Kierymowic pro certa summa pecuniaria.

Anno 15 nonagesimo in crastino Sanctæ Annæ Valentinus Smoczek cum vxore Anna, Joannes Rosal cum vxore Catherina domum et hortum in suburbio Cracouiensi inter Pauli Vpier et Fælicis Abermanowicz vendiderunt Tobiæ Axantowic florenis trecentis.

Anno 159 primo in vigilia Corporis Christi Andreas Sijczijcki cedit summam florenorum septingentorum septuaginta in certis habitationibus lapideæ Woinarowska Nicolao Domazerski.

Anno 159 tertio feria quinta post assumptionis Mariæ Anna Stanowna vxor Stanislai Rzeszijnski cum filio suo Stanislao oppignorauit in summa florenorum mille quingentorum lapideam Jacobo Warterijsowic ad decennium in vim perpetui lapsus, cui ædificia pro libitu fabricare permisit et ad emptionem proprioritatem inscripsit.

Anno 159 tertio feria quinta post Innocentum Dorothea Georgii Spitalnik vxor relicta donauit tertiam partem fundi in suburbio Cracouiensi penes Christopheri Torossowic et Joannis balneatoris sittam

Digitized by Google

Dorotheæ filiæ suæ et Michaeli aurifabro, quam illi in instanti vendiderunt famato Assuador Kupcowic Armeno florenis centum septuaginta.

Anno 159 quinto feria quinta post Cinerum Stanislaus Abermanowic cum vxore Anna vendiderunt certam partem horti sui penes Smoczkowski et Casparis Rabiczka in suburbio Cracouiensi siti Tobiæ Axantowic Armeno florenis sexcentis.

Anno 159 quinto feria tertia post Bartholomei Dorothea Georgij Spitalnik sortes in sinum suum admortuas in horto vltra ædem diui Stanislai vendidit Assuador Armeno florenis ducentis.

Anno 159 septimo feria quinta post Lætare successores Stanislai Modelka vendiderunt hortum suum in suburbio Cracouiensi penes pontem lapideum Bohdani Donowakowic iacentem famato Owanis Chaczadnowic fratri amitiuo Bohdani Donowakowic florenis quadringentis quinquaginta.

In cuius rei fidem sigillum nostrum præsentibus est appressum. Actum Grodeciæ feria tertia post dominicam quadragesimalem Lætare proxima anno domini millesimo sexcentesimo.

Andreas Tesnarowic ·
n. c. G. m/p.

Papierurkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396, mit aufgedrücktem Grodeker Stadtsiegel.

XLIV.

1588. K. Sigismund's III. Confirmatorium aller Rechte, Privilegien etc. der Armenier.

Sigismundus tercius rex Poloniæ et designatus Sueciæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ etc. etc. significamus præsentibus literis nostris quorum interest uniuersis et singulis, quia, licet in hoc publico coronationis nostræ conuentu omnia iura, libertates, immunitates, prærogatiuas et priuilegia per diuos antecessores nostros principes et reges Poloniæ vniuersis regni et dominiorum nostrorum ordinibus subditisque nostris cuiuscunque status et conditionibus existentibus generali ex sentencia senatorum nostrorum et nunciorum terrestrium literis nostris abunde approbauerimus et confirmauerimus eaque nos inuiolabiliter obseruaturos vigore prestiti a nobis iuramenti obligauerimus, tamen, cum uenientes ad præsentiam

Digitized by Google

nostram fideles subditi nostri Armenorum nuncii ciuitatis nostræ Leopoliensis suo et communitatis Armenorum ibidem habitancium nomine supplicassent nobis, vt omnia eorum iura, priuilegia, literas, libertates, decreta, prærogatiuas, exemptiones et immunitates ipsis a serenissimis antecessoribus nostris regibus et aliis personis concessas, insuper et consuetudines, quibus hucusque usi sunt, specialibus literis nostris approbare, innouare, confirmare et ratificare dignaremur, nos ipsorum supplicationi vti iustæ benigne annuentes omnia et singula prædictorum Armenorum iura, priuilegia, literas, decreta, libertates, immunitates, prærogatiuas, exemptiones a serenissimis piæ memoriæ regibus Poloniæ prædecessoribus nostris et aliis personis iuste et legittime concessas, datas et emanatas, insuper et omnes laudabiles usuque tentas et obseruatas ipsorum consuetudines, nullis penitus exceptis aut exclusis, non secus atque hic omnia et singula in genere et specie de verbo ad uerbum in suo tenore descripta forent, in omnibus et singulis earum punctis, clausulis, articulis et conditionibus approbanda, innouanda, confirmanda et ratificanda esse duximus, prout hisce literis nostris peculiaribus, in quantum iuris communis rationes sinunt et usus eorum habetur, approbamus, innouamus, confirmamus et ratificamus, eaque omnia vim et robur debitæ et perpetuæ firmitatis semper obtinere debere et ab omnibus, quorum id interest, obseruari uolumus. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni nostri consignari iussimus. Datum Cracouiæ in comitiis felicis coronationis nostræ die trigesima mensis Januarij anno domini millesimo quingentesimo octogesimo octauo, regni nostri primo.

Sigismundus rex. Christoph Ilmanowsky.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Das Siegel ist nicht mehr daran. Der Name des Königs am Anfang der Urkunde mit Goldtinte geschrieben.

XLV.

1588. K. Sigismund's III. Sentenz in einem Rechtsstreite mehrerer Armenier mit den Lemberger Consuln und Schöffen betreffs der Inscription und Resignation unbeweglicher Güter.

Sigismundus tertius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ etc. designatus rex Sueciæ et magni ducatus Finlandiæ hæres etc.

Digitized by Google

Significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, citatos fuisse ad nos et iudicium nostrum literis citationis nostræ secundæ famatos proconsulem, consules aduocatumque et scabinos ciuitatis nostræ Leopoliensis de eisdem officiis bonisque illorum omnibus ad instantiam famatorum Almasii, Christopheri, Joannis et Jacobi Thorossowiczow, Armenorum Leopoliensium, fratrum germanorum atque indiuisorum, propterea quod illis primum inscriptionem emptionis duarum institarum opulentum vulgo Bogathych Kramow, et omnium aliorum earundem superiorum ædificiorum ad acta sua suscipere, tandemque et resignacionem præfatarum institarum et omnium earundem ædificiorum superiorum ab vno ex illis, famato Jacobo Glacz consule Leopoliense, illorum cum consensu emptæ et solutæ in iudicio ciuili Leopoliensi admittere noluerunt eamque, quamuis ad intercessionem illustris et magnifici regni nostri cancellarii, cui multa eo nomine promittebant, et actores inani spe per satis longum temporis spatium lac . . tabant, tamen temere sine vlla legitima causa impugnabant, quam illorum impugnationem æstimant sibi contra illos tribus millibus marcarum pecenie Polonicalis et totidem damni, quemadmodum citatio præfata latius de præmissis testatur. In termino itaque hodierno ex eadem citatione proueniente et hucusque continuato partibus ipsis, actorea per nobilem Andream Mosciczki, præsente vno ex actoribus famato Iwasskone Torosowicz, citata vero per honoratum Stanislaum Anserinum consulem et Andream Madrowicz ciuem Leopoliensem coram iudicio nostro comparentibus eumque citationis terminum iudicialiter attentantibus, et actorea contenta citationis suæ multis rescriptis venditionum per homines catholicos hominibus ritus Armenici sine quauis magistratus renitentia factarum deducente, citata vero neque actores sine tota Armenorum communitate contra se agere neque solum magistratum sine communitate citare potuisse allegante, si quidem causa sit publica, quæ iura, priuilegia et decreta illius ciuitatis tangit, quorum cognitio sicut antea in comitiis regni instituebatur (quod probabant priuilegio decreti inter communitates catholicam et Armænicam per Sigismundum Augustum regem, auunculum et antecessorem nostrum, Petricouiæ anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio cum de aliis nonnullis differentiis tum etiam de numero domorum per Armænos possidendarum lati), ita et nunepote ad conuentum generalem regni merito remitti debent. Petebant itaque citati se ab ea citatione liberos pronuntiari aut causam tamquam publicam ad comitia regni remitti,

Digitized by Google

actorea parte in contrarium, et actores legitimos esse, quando quidem iniurias non ad communitatem, sed ad personas duntaxat in citatione expressas pertinet, et magistratum legitime citatum esse tanquam eum, qui suscipiendis recognitionibus præest et eam iniuriam actoribus solis intulit, deducente, neque eam causam ad comitia pertinere propterea, quod ratione priuatæ, non publicæ iniuriæ instituta sit, allegante. Nos cum consiliariis et iurisperitis nostris, eo considerato, quod actio præsentis ratione priuatæ iniuriæ, per solum magistratum priuatis personis (uti asseritur) illatæ, instituta est, decernimus exceptioni partis citatæ locum non esse, sed teneri eandem cum parte actorea vlterius procedere. In vlteriori itaque processu, posteaquam pars citata dilationem iuridicam expeteret ad producenda iura et priuilegia, quibus probare possent, eum venditorem bona in citatione expressa actoribus vendere non potuisse, eandem dilationem ad producenda eiusmodi iura et priuilegia nos eisdem citatis concessimus concedimusque præsentibus ad decursum quatuor septimanarum a data præsentium computandarum. Pro quo quidem die et termino habituræ sunt partes præfatæ terminum peremptorium, citata ad satisfaciendum dilationi suæ, actorea ad attendanda præmissa, vtraque vero pars ad vlterius in ea causa procedendum, præsentis decreti nostri vigore. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum præsentibus est appressum. Datum Cracouiæ feria tertia intra octauas Corporis Christi anno domini millesimo quingentesimo octogesimo octauo, regni vero nostri anno primo.

Alb. Baranowski
r. P. viecancel. m/p.

Relatio reuerendi in Christo patris domini Alberti Baranowski episcopi Præmisliensis regni Poloniæ viecancellarii.
P. Szczerbicz m/p.

Papierurkunde mit eingedrücktem königlichen Siegel im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XLVI.

1589. Recognition der Zechmeister über die Anzahl der Kräme in Lemberg und deren Besitzer.

Judicium necessarium bannitum feria tertia post dominicam Conductus Paschæ anno domini millesimo quingentesimo octogesimo nono Leopoli celebratum.

Digitized by Google

Ad instantiam quadraginta virorum, totam communitatem Leopoliensem repræsentantium, famati Joannes Baptista et Stanislaus Wilczek, institorum Leopoliensium czechmagistri, coram hoc iudicio comparentes personaliter palam recognouerunt, institas diuites in circulo Leopoliensi sitas esse numero triginta octo, ex quibus quidem triginta octo institis tenent hoc tempore catholici institas octo, Ruteni sex, Armeni vero viginti duas, de duabus autem litigant cum catholicis, præterea esse pauperes institas viginti quatuor, ex quibus catholici duas, Ruteni tres, Armeni vero decemnouem tenent. Quorum recognitionem iudicium ad affectationem supradictorum quadraginta virorum ad acta suscepit. In cuius rei fidem sigillum iudicii eiusdem præsentibus est appressum.

Ex protocollo actorum scabinalium Leopol. extractum.

Papierurkunde mit dem Stadtsiegel im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XLVII.

1391. K. Sigismund III. citirt die Lemberger Armenier vor sich und sein Gericht zur Verantwortung über Klagen der Lemberger Bürger.

Sigismundus III dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ etc. necnon regni Sueciæ proximus hæres et futurus rex.

Vobis famatis senioribus totique communitati Armenorum ciuitatis nostræ Leopoliensis, quorum nomina et cognomina hic pro insertis et expressis haberi volumus, de officio bonisque vestris omnibus mobilibus et immobilibus, per vos et quemlibet vestrum priuatim in et extra prædictam ciuitatem nostram habitis et possessis, mandamus, ut coram nobis et iudicio nostro, ubi tunc cum curia nostra fuerimus fæliciter constituti, feria sexta post dominicam Cantate nunc instans proxima ad instantiam spectabilium et famatorum proconsulis, consulum, aduocati et scabinorum ac ciuium catholicorum eiusdem ciuitatis nostræ Leopoliensis personaliter ac peremptorie compareatis. Citamini propterea, quia vos, non attentis antiquis iuribus, priuilegiis et consuetudinibus in illa ciuitate nostra finitima et hostium periculis exposita habitis et laudabiliter tentis, vigore quorum et ob ipsam ritus vestri Armenici in religione a catholicis disparitatem certis conditionibus et metis inclusi

Digitized by Google

et circumscripti estis, iuxta et intra quas sese continere adstricti fuistis et nunc estis, nihilominus vos eisdem iuribus, priuilegiis et laudabilibus consuetudinibus derogantes in contrarium eorundem iurium et priuilegiorum multa audetis ipsosque catholicos in illa ciuitate nostra commorantes aggrauare non dubitatis, violando iura, priuilegia et consuetudines antiquas, quibus vos omnino parere nec eisdem vllo modo contrauenire debetis. Qui nomine citamini ad videndum et audiendum præmissa et alia quæuis negotio huic quouis modo opportuna et necessaria vobis fusius in adueniente termino obiici, declarari atque probari, vos ipsos ob violata antiqua iura, priuilegia et laudabiles ipsius ciuitatis consuetudines peccasse decerni, ad eorum obseruationem decreto nostro cogi et compelli, nec non in damnis ipsos actores vobis autoribus sequutis, quæ sibi contra vos . . . . millibus florenorum taxant et æstimant, condemnari, ac quod de æquitatis et iuris ac ipsorum iurium et priuilegiorum præscripto venerit, contra vos statui et decerni. Sitis itaque pariturі et ad obiecta et obiicienda responsuri, siue enim parueritis siue non, nos nihilominus, vestra contumacia non obstante, sumus contra vos processuri et decreturi. Datum Varsauiæ feria secunda ante festum sancti Gregorii episcopi proxima anno domini millesimo quingentesimo nonagesimo primo.

V. Kosrutski (?) m/p.

Papierurkunde mit aufgedrücktem Siegel im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

XLVIII.

1596. K. Sigismund's III. Sentenz über einen Competenzstreit zwischen den Lemberger Bürgern und Armeniern.

Sigismundus tertius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ Liuoniæque, nec non Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, quod, posteaquam vocati fuissent ad nos ad conuentum regni generalem famati seniores totaque communitas Armenorum ciuium Leopoliensium ad instantiam spectabilium et famatorum proconsulis, consulum, advocati, scabinorum totiusque communitatis ciuitatis nostræ Leopoliensis ad reponenda decreta per serenissimum olim Stephanum regem antecessorem nostrum

Digitized by Google

inter eosdem actores et eosdem citatos lata, ad videndum videlicet ea ipsa decreta per nos et consiliarios regni nostri interprætari et declarari atque per actores certis rationibus deduci, quantum reipublicæ in eo negotio interfuerit et quod illa citati indebite obtinuerunt, nec non ad audiendum easdem partes ad eum statum, in quo antea erant, restitui idque, quod æquitatis et iustitiæ fuerit, statui, prout citatio præfata latius de præmissis testatur. Cum itaque pars citata eam causam in catalogum causarum iuris Magdeburgensis post curiam nostram referri curaret atque eadem ex regestro accersita actores eam coram iudicio assessor(iale) prosequi detrectabant, sed eam in consessu totius senatus ad moderna comitia congregati proponi debere contendebant, de quo assessores iudicii nostri nulla cognitione facta eam quæstionem ad nos receperant, in termino itaque hodierno ex eadem causæ receptione incidente et hucusque continuato, partibus præfatis, actorea per spectabiles Stanislaum Dibouicium Præmisliensem medicinæ doctorem et Casparum Przezdzieczki consules, Fridericum Gallum scabinum, Andream Madrowicz notarium et nobilem Stanislaum Krasniczki sindicum suum, citata vero per famatos Gabrielem Auedik, Almasium Torosowicz, Torosium Bernatowicz et Iwasskonem Torosowicz seniores suos coram nobis in frequenti senatu comparentes, actoreaque ex sua citatione proponente, citata vero se quidem ad causæ suæ iustificationem etiam in comitiis paratam esse allegante, sed vereri, ne id nulliter, extra forum videlicet proprium, faceret, præsertim quod omnes causæ inter ciues et communitates ciuitatum non prius in præsentiam nostram veniant quam coram subsellio iudicii nostri assessorialis proposita et tractata fuerint, actorea contra rationis suæ citationis eas adferente, primo quod causa non pro aliqua simplici iniuria instituatur sed ad declaranda decreta, quæ vim legis sapere videntur, deinde quod omnes causæ, quæ ciuibus cum Armenis etiam de simplicibus iniuriis antea intercedebant, in comitiis tractabantur, quod decretis productis probabant: nos cum consiliarijs et senatoribus regni nostri ad præsentem conuentum congregatis ex partium controuersia eo attento, quod ciues nostri et communitates ciuitatum pro personis iuri Magdeburgensi subiectis censeantur, causarum vero iuris Magdeburgensium ea est ratio, vt ciues ad conuentum vocari non possunt, nisi forte ex iustis causis per decretum nostrum eo remissi fuerint, ideo actores modernos citatos incompetenter ad comitia regni euocasse adinuenimus, et propterea eosdem citatos ab eadem citatione tum et a foro præsenti comitiorum absoluimus liberosque pro-

Digitized by Google

nunciauimus, absoluimusque et pronuntiamus. Quoniam autem actores existentes ciuilis conditionis vicinos suos spreto proprio et competente suo foro, iudicio videlicet assessorum nostrorum, recta ad nos euocarunt, ideo eosdem actores poenam, que illis propter eam euocationem arbitrio nostro irroganda esset, succubuisse decreuimus, quam tamen ex clementia et benignitate nostra ad senatorum nostrorum intercessionem condonauimus præsentis decreti nostri vigore. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Varsouiæ in conuentu regni generali sabbato ante dominicam Conductus Paschæ proximo anno domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, regnorum vero nostrorum Polonici anno nono, Suetici tertio.

Joannes Zamoiski r. P.
cancell. general. capit. m/p.

Relatio illustris et magnifici domini Joannis de Zamoscie reg. Pol. supræmi cancellarij et exercituum generalis, Belczensis, Margeburgensis, Tinycsinensis, Derpatensis, Mredzirecensis etc. capitanei.
P. Sczerbicz m/p.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Siegel fehlt.

XLIX.

1600. K. Sigismund III. erläutert ein Privilegium des K. Stephan über Tuchhandel, Schank- und Gewerberechte der Armenier.

Sigismundus tertius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ Liuoniæque, necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, quod, cum vocati essent ad nos et iudicium nostrum literis citationum nostrarum diuersarum famati seniores totaque natio Armenorum ciuitatis nostræ Leopoliensis, ad instantiam spectabilium ac famatorum proconsulis, consulum, aduocati, scabinorum totiusque communitatis ciuitatis nostræ Leopoliensis, occasione mercantiarum omnis generis mercium tam exoticarum quam domesticarum, quas iidem citati in regno nostro passim exercere consueuerunt, deinde ad reponendum et declarandum certum decretum serenissimi olim Stephani regis, quo eisdem Armenis pannos diuersos

Digitized by Google

incidendi, liquores omnis generis propinandi et artificia exercendi facultas concessa fuit, prout citationes præfatæ latius de præmissis testantur. In termino itaque hodierno iudicij relationum nostrarum propriarum ex eadem citatione nec non receptione causæ ad nos per assessores iudicij facta incidente et hucusque continuato, partibus ipsis, actorea per nobilem Andream Dambrowskj Sambor et spectabilem Stanislaum Anserinum consules, nec non honoratos Adamum Smieszek scabinum, Petrum Zigmuntowicz, Wolfgangum Scholcz Wolffowicz ciues Leopolienses, citata vero per honoratos Nicolaum Serepkowicz, Gabrielem Kaprus, Iwaskonem Torossowicz et Toros Bernatowicz seniores Armenos Leopolienses internuntios et plenipotentes suos coram nobis comparentibus eumque terminum attentantibus, actoreaque se ciuesque catolicos nimis admodum tam ampla facultate citatis per decretum serenissimi regis Stephani concessa premi et depauperari asserente, ideoque idem decretum aut propter noua reperta priuilegia, quæ tunc non producebantur, approbari, aut ad minus declarari petente, citata vero hoc idem decretum coram nobis producente atque illud in rellationibus serenissimi antecessoris nostri ex partium controuersia latum præscriptioneque plus quam viginti annorum firmatum esse, ideoque neque tolli neque declarari posse respondente: nos cum consiliarijs nostris lateri nostro assidentibus ex ea partium controuersia eo considerato, quod, quamuis decretum serenissimi regis Stephani antecessoris nostri, de quo ad præsens agitur, in rellationibus ex partium controuersia latum per actionem male obtenti tolli non potest, quemadmodum nos quoque illud non tollimus, tamen quia hoc idem decretum ita conceptum est, vt ab illo ipso tempore varie per partem vtramque intellectum fuerit, ideo ad eius declarationem descendendum nobis esse censuimus, prout illud iam ex nunc ita declaramus. Primum quidem negociationes quod attinet, decernimus integram esse debere tam catolicis ciuibus quam Armenis omnem negotiationem quarumlibet mercium, tam intra quam extra regnum, tam terra quam mari, liceatque easdem merces tam catolicis quam Armenis, tam Leopoli quam vbique in ciuitatibus et oppidis regni nostri distrahere et diuendere, seruato tamen ordine in articulis infrascriptis specificando. Deinde quod attinet pannorum incisionem et vsum ad prærogatiuam fenestrarum seu pannicidiorum slowo dictorum, quando quidem antiquitus nonnisi viginti fenestræ funditæ sunt, neque plures esse posse vel ipso regis Stephani decreto cautum est, ideo Armenos ad vsum duarum tantum fenestrarum

Digitized by Google

ita adm ttimus, vt. si quando ex belli aut quacunque alia iusta et probabili causa negociationes in Turciam et Valachiam intercluderentur ac de facto cessarent, aut quæuis comercia cum ijs terris fuerint interdicta, liceat Armenis duabus fenestris seu duobus pannicidijs suis per seniores Armenos designandis vti, conducta tamen prius apud catolicos fenestra alias slowo katolika naiąwszj, in eisque pannos omnis generis incidere tamdiu, donec rursus negociationes Turcicæ et Valachicæ patuerint, pannos tamen præciosiores szkarlaty pulszkarlaczie, granaty pulgranaczie dictos licebit in institis opulentis vtrique pariter parti vlnatim uendere, ab aliorum vero communium et vulgarium pannorum vlnatim incisione ex nunc iam supersedere debent Armeni. Porro negociatio pannorum integris petiis et ligamentis vulgo postawami bellami vtrique parti itidem libera esse debet. Pannum quoque dictum faijlundisz licebit secundum funiculum alias strijchem vtrique parti more mercatorum vendere. Non licebit tamen Armenis alio præter quam reclusæ negociationis Turcicæ et Valachicæ tempore faijlundisz et alios omnis generis pannos incidere, catolici autem quolibet tempore eundem pannum faylundisz siue ad funiculum siue vlnatim vendent prout voluerint. Præterea quod attinet propinationem liquorum, de ea decretum illud sic declaramus, vt integrum sit Armenis vinum malmaticum, vngaricum, valachicum aliaque omnis generis vina in duabus dumtaxat domibus, quas ipsi seniores Armeni designauerint, vendere et propinare, negociatio tamen vini cuiuslibet integris vasis seu cuppis vtrique parti pariter integra esse debet. Porro medonem seu mulsum licebit Armenis in tribus domibus itidem per seniores Armenos designandis conficere et propinare; cereuisiam autem Leopoliensem in quatuor domibus itidem per seniores Armenos designandis Armeni propinabunt, non tamen eam conficient, sed eam a Leopoliensibus ciuibus integris vasis emere debent. Artificia quod attinet, integrum esse debet Armenis vti duobus magistris sartoribus, duobus suturobus, duobus pellionibus et vno pictore, qui suæ nationis et ritus esse poterint, qui tamen contubernia cum reliquis magistris ciuibus eorundem artificiorum suscipere iuribusque et ordinationibus eorundem contuberniorum subesse debent, a quibus etiam citra quamuis difficultatem suscipi debent. Quæ omnia vtrinque partes inter se perpetuo obseruare debent sub poena decem marcarum toties, quoties per aliquam partium præsenti decreto contrauentum fuerit, parti illud seruanti succumbenda, præsentis decreti nostri vigore. In cuius rei fidem et testimonium sigillum

Digitized by Google

nostrum præsentibus est subappensum. Datum Varsauiæ feria secunda post dominicam Misericordiæ proxima anno domini millesimo sexcentesimo, regnorum nostrorum Polonici tredecimo, Suetici septimo.

Pc. Tijlicky episcopus Cul. r. P. vicecancel. m/p.

Rellatio reuerendi in Christo patris domini Petri Tylizcki episcopi Culmensis et r. P. vicecancellarij. P. Sczerbicz m/p.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv. Fasc. 396, mit rothem Wachssiegel an weiss-blau-gelb-rother Seidenschnur.

L.

1600. K. Sigismund's III. Decret über den Häuserbesitz der Armenier in Lemberg.

Sigismundus tertius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ Liuoniæque etc. necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis ac singulis, citatos fuisse ad nos iudiciumque nostrum literis citationis nostræ famatos seniores totamque nationem Armenorum ciuitatem nostram Leopoliensem incolentes, de bonis illorum omnibus ad instantiam spectabilium famatorum proconsulis, consulum, aduocati, scabinorum totiusque communitatis ciuitatis nostræ Leopoliensis propterea, quia illi, non contenti numero domorum illis et maioribus illorum ad habitandum per antecessores nostros concesso, contra iura et decreta nec non antiquas consuetudines eiusque ciuitatis plerasque domos catholicorum in eadem ciuitate Leopoliensi occupauerunt, prout citatio præfata latius præmissa complectitur. In termino itaque hodierno iudicij relationum nostrarum propriarum ex eadem citatione et receptione causæ ad nos per assessores iudicij nostri facta incidente et hucusque continuato, partibus præfatis, actorea per nobilem Andream Dambrowski Sambor et spectabilem Stanislaum Anserinum consules, necnon honoratos Adamum Smieszek scabinum, Petrum Ziigmuntowicz, Wolphangum Scholczwolffowicz ciues Leopolienses, citata vero per honoratos Nicolaum Serebkowicz, Gabrielem Kaprus, Iwaskonem Torossowiez et Toross Bernatowicz seniores Armenos Leopolienses internuntios et plenipotentes suos coram nobis comparentibus eumque terminum attentantibus, atque decreta serenissimorum

Digitized by Google

antecessorum nostrorum de possessione domorum variis temporibus lata producentibus de eorumque numero coram nobis disceptantibus, nos consiliarijs nostris lateri nostro assidentibus ex partium controuersia eo considerato, quod, quamuis decreta serenissimorum antecessorum nostrorum eo nomine intercesserunt, ex nullo tamen eorum certus numerus domorum per Armenos possidendarum elici potest, quod etiam non postremam in illa ciuitate dissensionum causam præbebat, ideo volentes tandem aliquando huic liti finem imponere, decernendum duximus decernimusque, quatenus Armeni domos hæreditarios omnes in ciuitate Leopoliensi septuaginta tres possideant et non plures, non includendo tamen in eum numerum domum qua in negocijs ecclesiasticis Armeni vtuntur, neque duas domos sacerdotales in vna area exstructas, neque scholam neque hospitalem, includendo vero in eundem numerum tres domos non ita pridem per Armenos acquisitas, videlicet duas Zaidliczowskie dictas, tertiam Wronczynska. Si itaque hactenus Armeni cum ijs tribus domibus integrum numerum septuaginta trium domorum non possident, licebit eis tot domos tam apud catholicos quam apud Rutenos in plateis sibi adiacentibus emere, donec numerum septuaginta trium domorum impleant, inscriptiones tamen super easdem domos coram officio consulari Leopoliensi fieri debent, vltra vero præfatum numerum integrum quoque erit Armenis domos iudaicas emere. Quod attinet domos, quas Armeni in circulo ciuitatis quocunque iure possident, tum et institam, quam famatus Iwasko Torossowicz a Jodoco Glacz acquisiuit in medio foro sittam, ijs debent Armeni cedere catholicis infra vnius anni decursum receptis summis, quas in easdem domos Armeni exposuerunt iuxta inscriptiones eorum, et in posterum Armeni a domibus in circulo emendis vel iure etiam obligatorio acquirendis abstinere debent. Quodsi de summarum quantitate inter eos dubitatio aliqua orta fuerit, extunc Armeni tenebuntur summas eiusmodi iuramento liquidare et comprobare, quod tantam summam exposuerint. Si vero iuramentum detrectauerint, extunc taxæ officiosæ subiacere debent. Domus quoque aciales forum respicientes pro domibus circularibus censeri exemptionique modo præmisso subiacere et ab eis emendis vel iure obligatoriò acquirendis Armeni itidem abstinere debent. Illud præterea cauemus et declaramus, vt Armeni domos prædictas, quas ex vi præsentis decreti nostri coempturi sint, ex arbitrio et ordinatione seniorum Armenorum acquirant, et instrumento venditionum et resignationum illud specifice addatur, vt iurisditio ciuilis et onera tam

Digitized by Google

ecclesiastica quam ciuilia consueta salua permaneant, præsentis decreti nostri vigore. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum est appressum. Datum Warssouiæ feria secunda post dominicam Misericordiæ proxima anno domini millesimo sexcentesimo, regnorum nostrorum Polonici tredecimo, Suetici vero anno septimo.

Pe. Tijlickj episcopus Culm. r. P. vicecancell. m/p.

Relatio reuerendi in Christo patris domini Petri Tijliczki episcopi Culmensis et r. P. vicecancellarii.

P. Sczerbicz m/p.

Pergamenturkunde mit rothem Wachssiegel an blau-gelb-roth-weisser Seidenschnur, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

LI.

1616. K. Sigismund bestätigt die Rechte, Privilegien und Immunitäten der Armenier und insbesondere das Recht der Senioren nach ihrem Amt und Schwur ungehindert Verfügungen zu treffen.

Sigismundus tercius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque etc. necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hereditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis, cum plures semper qui immittentur, quam qui inueniant, non solum in ciuitate administranda, verum etiam in omni arte reperiantur, tum sane non minus sapienter quam necessario magistratus sunt instituti, quorum arbitrio sese cæteri permittant, eorumque potissimum authoritate nitantur. Quare, cum etiam Armeni in ciuitate nostra Leopoliensi quoad leges et iurisdictionem (certis casibus exceptis) per diuum Casimirum et alios serenissimos Poloniæ reges prædecessores nostros specialibus priuilegiis et iuribus donati sint, præstat ad conseruanda tuendaque eadem ipsorum communia iura aliquos esse, qui inueniant et præsint, cæteros, qui immittentur et pareant, aliter enim multitudo hominum in bono conseruari non potest ordine, nisi paucorum illa sequatur arbitrium. Ad intercessionem itaque certorum consiliariorum nostrorum nomine prædictorum Armenorum Leopoliensium apud nos factam, inhærendo antiquis priuiiis et decretis serenissimorum antecessorum nostrorum et præcipue

Digitized by Google

priuilegio diui olim Sigismundi Augusti regis et auunculi nostri desideratissimi, quo cautum est omnes Armenos in ciuitate nostra Leopoliensi manentes, quicunque legibus et prærogatiuis Armenicis vtuntur, iuri et iurisdictioni seniorum Armenorum parere oneraque omnia æqualiter cum eis ferre et subire debere, neque ab eis se quibusuis exemptionum literis subducere posse: eosdem Armenos circa eadem ipsorum iura et priuilegia, institutaque et vsum hactenus obseruatum, conseruandos esse duximus, vti quidem per præsentes conseruamus et relinquamus, ita vt seniores Armenorum dictæ ciuitatis nostræ Leopoliensis iurati, quæcunque ad communem suæ nationis Armenicæ statum, iuraque et priuilegia ac immunitates illius tuendas, conseruandas et augendas vtilia necessariaque perspexerint, pro officiorum et iuramentorum suorum debito libere sine cuiusuis impedimento statuant, ordinent, et decernant, communitas vero Armenorum eiusdem ciuitatis Leopoliensis ea omnia, quæcunque per seniores illorum pro commodo et vtilitate publica sancita, ordi(nata et) laudata fuerint, sine omni contradictione et renitentia teneat, obseruet et præstet, omniaque onera ad commune negocium uel negocia spectantia æqualiter cum ipsis senioribus ferat et sustineat. Quodsi vero aliquis ex communitate prædicta Armenorum tam . . . . . temerarius reperiretur, qui ordinationibus huiusmodi institutisque seniorum contrauenire uel inobedientem se præbere præsumeret, talem vel tales seniores ipsi tanquam in publica communitatis suæ causa iuxta qualitatem excessus siue mulcta pecuniaria, siue . . . . , prout communis necessitatis æquitatisque suaserit ratio, puniendi et mulctandi plenariam habebunt præsentium tenore potestatem et facultatem. Vbi vero opus fuerit, volumus, vt officium consulare Leopoliense, tanquam ordinarius vniuersæ ciuitatis magistratus, quoties a senioribus iuratis Armenorum pro carceribus requisitum fuerit, eos ipsos carceres non deneget, quinimo iuxta antiquam consuetudinem et præscriptum iurium Armenorum libere concedat et permittat, saluis iuribus ciuitatis nostræ Leopoliensis, et aliis eorundem Armenorum in suo robore permanentibus. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri mandauimus. Datum Varsauiæ in comitiis regni generalibus die XXVIII mensis Maij anno domini MDCXVI, regnorum nostrorum Poloniæ XXIX, Sueciæ vero XXIII anno.

Sigismundus rex. Florianus Groth m/p.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Siegel und Schnur nicht mehr vorhanden.

Digitized by Google

LII.

1622. K. Sigismund III. verbietet dem Lemberger Magistrat die Armenier mit ungerechten Abgabenforderungen zu bedrücken.

Sigismundus tertius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ Liuoniæque etc. necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius rex spectabilibus et famatis proconsuli, consulibus totique magistratui ciuitatis nostræ Leopoliensi fid. nobis dilectis gratiam nostram regiam. Spectabiles et famati, fideles nobis dilecti. Questi sunt apud nos grauiter Armeni ciues et mercatores Leopolienses de fid. vestris eo nomine, quod paulo ante, dum in ipsam ciuitatem nostram Leopoliensem cum generali ordinis equestris contra Turcas expeditione venissemus, fid. vestræ priuilegium super exactionibus certis percipiendis a mercibus omnis generis, quæ per frustra vulgo sztukami in eandem ciuitatem nostram Leopoliensem inveherentur seu inde eueherentur, nec non a mulso et ceruisiæ coctura Leopoliensis absque scitu et consensu (vti asserunt) communitatis obtinuerunt, licet quidem fid. vestræ id nobis tunc exposuissent, totam communitatem eius negotii consciam fuisse atque vnanimiter cum fid. vestris supplicasse in præmissis. Cæterum quidem præfati Armeni ad nos retulerunt, se de priuilegio eiusmodi, dum procurabatur expediebaturque, penitus nesciuisse nec unquam suum in illud præbuisse consensum aut præbere velle, vtpote quod antiquis priuilegiis, iuribus et consuetudinibus ciuitatis obsit, magnoque detrimento ac damno bona et fortunas eorundem afficiat. Cum igitur fid. vestræ hac in parte prius animos et voluntates conciuium non explorauerint, num exactionibus huiusmodi, quæ et noue essent et veteribus ipsorum derogarent priuilegiis et iuribus ciuitatis, assentiri et acquiescere vellent, serio mandamus precipimusque fid. vestris, vt executione recentis huius priuilegii ciues et negotiatores Armenos non grauent, neque ad exactiones, quæ in eo sunt expressæ (si quidem mens huius priuilegii non alia esse videtur, quam vt extranei tantummodo mercatores et negociatores ad soluendas eiusmodi exactiones, non vero ciues possessionati teneantur), adigant nullamque difficultatem et molestiam illis aliquatenus facessant, sed se cohibeant et rem in medio relinquant ad vlteriorem decisionem nostram, quam super hoc priuilegio inter fid. vestras et præfatos Arme-

Digitized by Google

nos et negotiatores facturi sumus, pro gratia nostra et debito officiorum suorum aliter fid. vestræ non facturæ. Datum Warsauiæ die VII mensis Januarii anno domini MDCXXII, regnorum nostrorum Poloniæ XXXI, Sueciæ vero XXVIII anno.

Sigismundus rex. Michael Kupczowicz.

Transsumt aus den Acten des Burgamtes in Lemberg, gesiegelt und gefertigt von Alexander Zalesky, Vicecapitaneus und Judex Castrensis Leopol., im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

LIII.

1632. Sentenz des Consularamtes in Lemberg gegen einen Armenier wegen Anmassung des Bürgerrechtes u. a.

Actum Leopoli sabbatho pridie dominicæ Palmarum proximo anno domini millesimo sexcentesimo trigesimo secundo.

In causa et actione inter famatum Albertum Słonczewski instigatorem ciuilem nomine et ex parte ciuitatis eiusdem agentem actorem atque famatum Christopherum Domazerski Armenum Leopoliensem citatum, ideo quod citatus iuramento fidelitatis super ius ciuitatis sacræ regiæ maiestati non præstito pro ciue se Leopoliensi hactenus se gesserit, libertatibus ac immunitatibus ciuibus solis iuratis seruientibus nixus, per et intra regnum mercaturam exercuerit, in persoluendis theloneis fisco reipublicæ regni et ciuitatis eiusdem derogauerit, tum quod in contemptum magistratus ciuitatis protestari ratione contributionis publicæ, pro vsu ciuitatis publico ex communi ordinum ciuitatis laudo sancitæ et iuxta morem aliorum ciuium exactæ, contra officium coram officio et actis castrensibus capitanealibus præsumpserit, mota et vertente, officium præsens consulare Leopoliense, partium controuersiis auditis et perpensis, expediendo deliberationem suam, eiusmodi adinuenit sententiam.

Quandoquidem ex præscripto iuris Maydeburiensis et vsitatissima in regni aliisque regionum, prouinciarum et regnorum ciuitatibus praxi obseruari solita ciues nonnisi præstito fidelitatis s. r. maiestati corporali iuramento ad iura libertatesque ciuitatis illius, quam incolunt, admittuntur, quod etiam in ciuitate Leopoliensi a primæua illius fundatione, prout ex albo ciuium eiusdem ciuitatis comperitur, obseruari

Digitized by Google

solet; et quamuis citatus Armenos omnes ciuitatis eiusdem incolas iuramento per duodecim seniores Armenicæ nationis præstito niti, et in personis suis omnium iuramenta et fidelitatem complecti solitos esse opponat, seque tam seniorum Armenorum, quam patris prædefuncti et matris superstitis parentum suorum iuramentis ac fide tutari inferat, nihilominus tamen, quia non modo externi homines vndequaque ad ciuitatem, in cines ciuitatis eiusdem relaturi, confluentes, sed etiam consulum filij et patricij omnes Leopoli oriundi, denique etiam et personæ graduatæ insignia doctoratus et testimonia meritorum atque virtutum suarum deferentes, non nisi præstitis fidelitatis s. r. maiestati et ciuitati corporalibus iuramentis, ad iura et libertates ciuitatis eiusdem suscipiuntur, considerato: quod in anno millesimo sexcentesimo septimo ipsimet seniores Armenorum in iudicio s. r. maiestatis contra magistratum, quod ille Arménos sine commendatione seniorum Armenicæ nationis ad iura ciuitatis temere suscipiat, per Iwaszkonem Thoroszowiez internuncium suum conquesti essent, atque decretum s. r. maiestatis de data Craconiæ feria sexta post festum Epiphaniarum Domini anno prætacto eo nomine per expressa eiusdem decreti verba (Armenos quod attinet, vt hos quoque ad commendationem seniorum Armenorum magistratus Leopoliensis ad ius ciuitatis suscipiat, et in album aliorum ciuium referat, decernimus) eo nomine latum intercessisset, vt videlicet Armeni iuxta aliorum catholicorum, Ruthenorum et prædecessorum suæ Armenicæ nationis ciuium præstitis fidelitatis s. r. maiestati et ciuitati seruandæ iuramentis, tum demum ad iura et libertates ciuitatis admittantur illisque gaudeant; eo refert: quod seniores Armenorum non in aliorum suæ nationis Armenicæ fidem, sed in suam propriam, neque vt in cines cooptentur, sed uti scabini iuris ciuilis Armenicalis super iudicia sua obeunda fideliter et iustitiam cuique administrandam in basilica sua Armenicali, ipsa die electionis officialium ciuitatis eiusdem in præsentia tam castrensis quam consularis Leopoliensis officiorum quotannis iuxta iura eorundem Armenicalia, consuetudine antiquitus recepta approbata, præstare debeant teneanturque, alii vero Armenicæ nationis homines iuramentis tam seniorum suæ nationis quam parentum suorum, quæ cum personis demortuorum iuratorum extinguuntur, stare nec se fulciri possint: quoniam itaque citatus nomen ciuis Leopoliensis iurati eo vsque sibi temere usurpabat, rem mercatoriam per ciuitates regni in fidem et nomen ciuis eiusdem ciuitatis iurati in diem præsentem exercebat, iura libertatesque, quibus

Digitized by Google

ciues Leopolienses legittimi ab omnium theloneorum, vectigalium ac quarumuis s. r. maiestatis et reipublicæ regni exactionibus libertatem obtinent, impune sibi fratribusque ac familiæ suæ arrogabat, quo facto de fiseo tam s. r. maiestatis quam ciuitatis eiusdem ut plurimum detrahebat derogabatque, ideo ratione defraudatione fisci s. r. maiestatis et reipublicæ regni instigatori seu exactoribus aut theloneatoribus regni saluam actionem in foro fori cum citato agendi reseruauit. Quod autem fiscum ciuitatis eiusmodi spectat, instigatorem ciuitatis omnes contributiones, dationes et quæuis ouera ciuilia, a quibus præstandis legittimi ciuitatis eiusdem ciues liberi ac immunes esse solent et in quibus citatus ciuitatem hucusque defraudabat, liquidare, citatumque iuxta liquidationem ciuitati refundere et persoluere atque in vim pœnæ publicæ quinquaginta marcas pro reparatione ciuitatis reponere teneri adinuenit, et beneficio iuris ciuilis amplius petendi eundem priuauit. Quod vero protestationem per eundem inculpatum in foro castrensi contra officium præsens in fori sui proprii et magistratus eiusdem contemptum factam attinet, quando quidem contributio ciuilis per omnes ciuitatis ordines, ac etiam ipsam Armenicam nationem laudata, et in vsus ciuitatis publicos, videlicet ad comitia regni pro internunciis ciuilibus expediendis, occasionem citato controuersam protestationem ad acta castrensia capitanealia Leopoliensia insinuandi ac inferendi dedit, quoniam exactores ciuiles a citato nonnisi nomine contributionis et laudi communis exemplo aliorum ciuium exigebant, atque citatus tantundem ex æquo cum aliis suæ Armenicæ nationis hominibus nomine contributionis ciuilis exactoribus persoluit, qua in re si se læsum esse aut fuisse arbitratus est, tunc ad acta ciuilia sibi competentia, et quæ nemini vnquam denegantur, non vero castrensia, vti conditioni, foro et iurisdictioni suæ minime seruientia, querellam suam etiam per protestationis officiosam insinuationem deponendi facultatem habebat, sed quia in contemptum et vilipendium magistratus, vti officii sui proprii forique competentis eam ipsam protestationem calumniosam fecit et actis inseri curauit, ideo eundem contra debitum suum deliquisse, atque in detrahendo magistratui ac exactoribus ciuilibus, personis iuratis in officio scabinali residentibus, excessisse adinuenit, tenerique inculpatum carcerariam sessionem per vnum mensem in prætorio ciuitatis eiusdem tollerare, muletam pecuniariam viginti marcas Polonicales ciuitati reponere, magistratum et exactores ciuiles cum assistentia seniorum Armenorum in loco officij præsentis residentiæ conceptis verbis deprecari.

Digitized by Google

et protestationem ex actis castrensibus suis propriis sumptibus ac impensis explodi ac eliminari curare adinuenit, sententia in præmissis mediante. Quam instigator nomine ciuitatis ordinum pro iure suscepti, citati vero plenipotens sentiens se seu potius principalem suum eadem sententia grauatum esse, appellationem ad sacram regiam maiestatem interponebat, petens appellationi viua voce deferri.

Impugnabat instigator, et non esse viua voce admissibilem appellationem, vti iuribus ciuitatis et præiudicatis sacræ regiæ maiestatis de appellationibus non viua voce sed occluso rotulo admitti debere disponentibus repugnantem inferebat.

Porro officium præsens considerato: quod causa præsens de iuribus et priuilegiis ciuitatis vertitur, ideo nihil præiudicatis et specialibus ciuitatis iuribus de transmittendis in occluso rotulo appellationibus disponentibus derogando appellationi per citatum viua voce post curiam sacræ regiæ maiestatis interpositæ, viua voce reuerenter detulit, et fatalia inferendæ ac prosequendæ eiusdem appellationis spatium quatuor septimanarum præfixit et assignauit. In cuius rei fidem sigillum officii nostri consularis præsentibus est subimpressum.

Ex actis officii consularis Leopoliensis extractum.

Albertus Zimnicki ciuitatis Leopoliensis notarius m/p.

Papierurkunde mit Siegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

LIV.

1633. K. Wladislaw's IV. Confirmatorium aller Rechte, Freiheiten und Gewohnheiten der Armenier.

Vladislaus quartus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ Liuoniæque, necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius rex, electus magnus dux Moschouiæ, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, quia in hoc publico coronationis nostræ conuentu omnia iura, libertates, immunitates, prærogatiuas et priuilegia per diuos antecessores nostros principes et reges Poloniæ vniuersis regni et dominiorum nostrorum ordinibus subditisque nostris cuiuscunque status et conditionis existentibus generaliter ex sententia senatorum nostrorum et nuntiorum terrestrium literis nostris abunde approbaue-

Digitized by Google

rimus, eaque nos inuiolabiliter obseruaturos vigore præstiti a nobis iuramenti obligauerimus, tamen cum venientes ad præsentiam nostram fideles subditi nostri Armenorum nuncii ciuitatis nostræ Leopoliensis suo et communitatis Armenorum ibidem habitantium nomine supplicassent nobis, vt omnia eorum iura, priuilegia, literas, libertates, decreta, prærogatiuas, exemptiones et immunitates ipsis a serenissimis antecessoribus nostris regibus et aliis personis concessas, insuper et consuetudines, quibus huensque vsi sunt, specialibus literis nostris approbare, innouare, confirmare et ratificare dignaremur, nos ipsorum vti iustæ benigne annuentes, omnia et singula prædictorum Armenorum iura, priuilegia, literas, decreta, libertates, immunitates, prærogatiuas, exemptiones a serenissimis piæ memoriæ regibus Poloniæ prædecessoribus nostris et aliis personis iuste et legitime concessas, datas et emanatas, insuper omnes laudabiles vsuque tentas et obseruatas ipsorum consuetudines, nullis penitus exceptis aut exclusis, non secus acsi hic omnia et singula in genere et specie de verbo ad verbum in suo tenore descripta forent, in omnibus et singulis earum punctis, clausulis, articulis et conditionibus approbandas, innouandas, confirmandas et ratificandas esse duximus, prout hisce literis nostris peculiaribus, in quantum iuris communis rationes sinunt et vsus earum habetur, approbamus, innouamus, confirmamus et ratificamus, eaque omnia vim et robur debitæ et perpetuæ firmitatis semper obtinere debere et ab omnibus, quorum id interest, obseruari volumus. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni consignari iussimus. Datum Cracouiæ in comitiis felicis coronationis nostræ die decima mensis Martii anno domini MDCXXXIII, regnorum nostrorum Poloniæ et Sueciæ anno primo.

Aus K. August's II. Confirmat. v. 1697.

LV.

1634. K. Wladislaw's IV. Sentenz, betreffend die Competenz des armenischen Gerichtes.

Vladislaus IV dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ Liuoniæque etc. necnon Svecorum, Gothorum, Vandalorum hereditarius rex, significamus præsentibus

Digitized by Google

literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, denolutam esse ad nos a comissarijs nostris generoso Jacobo Maximiliano Fredro succamerario Præmisliensi et venerabili Samuele Plaza archidiacono Lublinensi secretariis nostris a nobis deputatis ad cognoscendam et dijudicandam summario processu causam et actionem inter strenuum Mathiam Fik ciuem Gedanensem actorem, et honorabilem Gabrielem Bernatowicz Armenum ciuem Leopoliensem citatum, idque ad contractum ratione non solucionis certi debiti in eodem specificati institutam et primum coram officio consulari Leopoliensi motam et postmodum ad iudicium nostrum per impositionem cittationum prosecutorialium ratione fori, quod dictus citatus se coram prædicto officio consulari Leopoliensi non habuisse vigore priuilegiorum et decretorum a serenissimis olim Poloniæ regibus prædecessoribus nostris Armenis concessorum, quorum vigore non nisi in quatuor articulis coram officio consulari respondere teneantur, denolutam. In qua causa cum partes vtræque infrascriptæ post fundatam a specificatis comissarijs nostris inrisditionem personaliter comparuissent, et in prosecutione causæ actor memoratus vigore dicti contractus inter famatum olim Mathiam Fik parentem (vti asserit suum) et famatos Joannem et Gabrielem Bernatowicz de data Lublini die XII Martii anno domini 1604 conscripti confecti solutionem summæ octo millium quingentorum triginta vnum floren. gros. 16 in eodem contractu specificati, ab eodem Gabriele Bernatowicz deceri sibi postularet, in contrarium conuentus se forum coram eisdem comissarijs vigore iurium et priuilegiorum non habere allegaret, comissarij nostri causam eandem ad nos pro cognitione remiserant. In termino itaque hodierno, ex remissione eadem proueniente, nos cum commissarijs nostris, viso et bene perspecto priuilegio Armenis Leopoliensibus a serenissimo olim diuæ memoriæ Sigismundo Augusto rege Poloniæ dato, quo specialiter cautum est non teneri eos coram comissarijs respondere, eosdem circa iura et priuilegia ipsorum causamque eandem ad forum competens Armenicum remissimus, prout remittimus præsentis decreti nostri vigore. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Actum et datum Leopoli feria sexta festum sancti Francisci Confessoris proxima anno domini MDCXXXIV, regnorum nostrorum Poloniæ II, Sueciæ vero III anno.

Vladislaus rex.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Siegel fehlt und scheint nie daran gewesen zu sein.

Digitized by Google

LVI.

1635. K. Wladislaw's IV. Sentenz in einem Streite zwischen den Armeniern und andererseits den Consuln und dem armenischen Bischof über Gewaltthätigkeiten der Armenier, Ausübung der Gerichtsbarkeit u. a.

Vladislaus IV. dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæ, necnon Sueccorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, tulisse ad nos antea decreta bina, et primum quidem Varsauiæ ex citationibus seorsiuis in causa et actione inter honoratos Zachariam Kasprouicz officialem, Joannem Iwaszkowicz zacristanum, sacerdotes Armenici ritus ad ecclesiam tituli assumptionis gloriosissimæ virginis Mariæ in ciuitate Leopoliensis sitam, tum et honoratos Jacobum Zachnowicz, Simonem Awedykowicz, Petrum Strekorowicz, Simonem Warteryszowicz seniores, atque famatos Jacobum Maneczukowicz et Simonem Kasprowicz alias Rabiczka actores ab una, et spectabiles ac famatos proconsulem et consules ciuitatis nostræ Leopoliensis de eodem officio personis, necnon venerabilem Nicolaum Torossouicz ritus Armeni Leopoliensis episcopum vti partem officii præfati consularis Leopoliensis adherentem, itidem de persona ipsorumque bonis omnibus ad attentandum et videndum ea omnia, ratione quorum prædictum officium consulare Leopoliense vti pars principalis eo, quo inferius descriptum est, tenore et modo conueniebatur, parte ab altera citatos, ratione nimirum iuditiorum spiritualium contra iura et priuilegia actoribus per nos et serenissimos antecessores nostros reges Poloniæ gratiose concessa, tum et contra decretum olim diui Sigismundi Augusti itidem antecessoris nostri simili in passu latum, ex instantia præfati venerabilis Nicolai Torossowicz vti partis adhærentis interruptionis in regimen ecclesiasticum, ingestionis et postmodum ecclesiæ illorum Armenicæ in ciuitate eadem nostra Leopoliensi existentis sine vlla figura iudicij ac sine omni processu iudiciario in fauorem et conniuentiam dicti episcopi Armenici partis actorum aduersæ manu forti, seris amotis et foribus effractis, vti et violenter apertionis atque eiusdem præfati episcopi ad hoc munus obeundum inhabilis inductionis et eiusdem ecclesiæ Armenicæ per vim ademptæ eidem episcopo Armenico Leopoliensi traditionis

Digitized by Google

primum in iudicio nostro assessoriali, postmodum vero ex receptione causæ eiusdem per hoc ipsum iudicium in iudiciis iisdem relationum nostrarum mota et vertente. Quo quidem decreto nostro post prosecutionem in causa officio consulari iniunctam quoad incompetentiam actoratus per præfatos consules Leopolienses actoribus obiectam et fori declinatoriam exceptionem per supradictum episcopum allegatam deliberaueramus, interim tamen certos comissarios nostros ad præcidendas et sopiendas inter easdem partes differentias tam ratione ecclesiæ præfatæ quam ratione bonorum ipsius et suppellectilis ornamentorum tesaurique ecclesiastici, salua parti vtrique a definitiua sententia appellatione ad nos reseruata, dederamus et deputaueramus. Alterum porro decretum nostrum ex eodem superiori deliberationeque per nos facta ac conseruatione inter eosdem actores supranominatos et magistratum Leopoliensem conuentos dependens, cum comissione per nos ad sopiendas differentias inter easdem partes assignata ad effectum suum ob impugnationem fundandæ iurisdictionis in loco Chucz dicto ad ecclesiam præfatam Armenicam Leopoliensem tam per præfatum episcopum Armenicum cum clero suo, quam per prædictum magistratum Leopoliensem factam non deuenisset, Leopoli promulgaueramus, iniungentes post reiectionem causæ expediendæ deliberationis nostræ ob limitationem generalem causarum Varsauiam, quatenus ad propositionem (?) inter alia grauamina pro eo tempore a ciuitate Leopoliensi et natione Armænica exposita ad locum iudiciis Armenicis ab antiquo distinatum Chucz dictum eidem actores admitterentur, inquisitioque ratione thesauri aesi ex occasione magistratus Leopoliensis per præfatum episcopum Armenicum recepti perageretur, eaque omnia ad mentem et intentionem præsentis decreti nostri cum conseruatione termini determinarentur, prout decreta eadem nostra vtraque latius de præmissis omnibus testantur. In termino itaque hodierno iudicii relationum nostrarum propriarum tam ex eadem reiectione expediendæ deliberationis nostræ, quam et conseruationibus præscriptis legitime prouenientibus et hucusque continuato, partibus præfatis, actorea videlicet supra de nomine et cognomine specificata per nobilem Mathiam Popiel atque honoratum Auedicum Bèrnatowicz, citata vero videlicet magistratu Leopoliensi per spectabilem Andream Janochi (?) et Mathiam Joannem Zeleski iudicij ciuilis Leopoliensis notarium, episcopo vero ritus Armenici venerabili Nicolao Torossowicz per honorabilem Joannem Domagoliez coram nobis et iudicio nostro relationum nostrarum propriarum

Digitized by Google

comparentibus eumque terminum attentantibus, et actorea quidem expeditionem deliberationis nostræ in causa præscripta ex parte exceptionis fori declinatoriæ per dictum episcopum Armenicum et incompetentiæ actoratus per magistratum ciuilem sibi obiectæ iuxta decreta nostra anteriora et reiectionem petente, præfato vero plenipotente memorati episcopi Armenici se causam præscriptam prosequi in iudicio nostro non posse eo, quod nullum terminum haberet nec adcitatus esset, quinimo idem episcopus principalis suus munimenta ad causam hanc necessaria penes se, qui causa liminum beatorum Petri et Pauli visitandorum discessit, detineret, inferente atque in rem eam literas ab episcopo principali suo ad se scriptas producente, magistratu vero se itidem ad prosecutionem causæ sine memorato episcopo, siquidem citationes nostræ tam contra se vti indices quam contra præfatum episcopum vti partem adhærentem ad instantiam eorundem actorum editæ sunt et causa præsens connexa et coniuncta sit, non teneri allegante episcopumque eundem processum officii sui instificare debere contendente: nos cum consiliariis lateri nostro assidentibus partium controuersiis exanditis, eo attento, quod deliberacione nostra in causa præfata originali ex parte fori et incompetentiæ actoratus cum vtraque parte prædicta tam cum magistratu Leopoliensi, quam cum dicto episcopo Armenico Leopoliensi in anterioribus decretis nostris intercessit et limitatio generalis causarum per nos antea facta iam expirauit, ideo eandem citatam partem vtramque terminum in iudicio nostro habere adinuenimus eidemque causam eandem prosequi iniunximus. In prosecutione igitur causæ ipsius cum prædictus plenipotens episcopi Armenici memorati easdem quas supra defensas inferebat, magistratus autem Leopoliensis actionem præsentem suspendi tantisper, donec actores in foro fori cum prædicto episcopo Armenico ratione præmissorum iure experti fuerint, affectaret, nos cum iisdem consiliariis nostris lateri nostro assidentibus, eo animaduerso, quod pars citata, magistratus nimirum Leopoliensis, nihil directe in causa eadem inferret, sed iisdem vti supra defensis, quibus adiudicata est, vteretur, et actio principaliter prædicto magistratui Leopoliensi rationi præmissorum per actores instituta sit, suspensionem per præfatum magistratum affectatam locum non habere adinuenerimus, et ideo eundem procedere teneri decreuimus. Procedendo itaque parte citata, nimirum magistratu Leopoliensi, processum suum in ijs, de quibus conuenitur, iustificandum se non temere sed iure mediante in præmissis processisse asserente, et

Digitized by Google

ipsosmet Armenos seniores forum coram officio suo consulari elegisse, instantias ibidem fecisse, seditiones et tumultus sibi denunciasse, deputatos ad sedandas violentias a se obtinuisse, a decreto, quo restitutio ecclesiæ Armenicæ episcopo præfato Armenico iniuncta erat, appellationem non interposuisse, et circa apertionem ecclesiæ eiusdem claues eidem episcopo tradidisse, inferente, aliasque rationes pro parte sua introducente, et insuper reassumptionem iuramentorum ad officia sua præstitorum, si et in quantum de iure venerit, ad comprobandam iustificationem suam non detrecta . . . , in oppositum actorea pars nullum vnquam ordinarium processum hac in parte intercessisse, imo de plano summam vim et violentiam ecclesiæ Armenicæ illatam esse templumque idem violenter per serrifabros et ferrifabros seris reseratis et amotis apertum et sibi per eosdem citatos magistratum Leopoliensem ademptum esse, nulla ad id iurisdictione citata eadem parte vti sæculari habente, decretum quoque per citatam partem allegatum, a quo citata pars allegat actores non appellasse, nullum vnquam intercessisse nec actores eo nomine in ius uocatos fuisse, nullamque hac in parte citationem et controuersiam iudicialiter fuisse, ac proinde pro iuridico decreto, a quo appellatio fieri deberet, censeri non posse replicabat, iuramentorumque reassumptionem expetitam vti in manifesto violentiæ facto citatam partem obtinere non posse, ac se, si et in quantum de iure id necessarium foret, ad comprobandam violentiam suprapositam propiores esse allegabat, restitutionemque ecclesiæ tum et supellectilis ecclesiasticæ per episcopum peæfatum ex occasione citatorum receptæ ac distractæ vel taxæ ipsius perhibitionem (?) decerni expetebat, ac inquisitionem eo nomine ex decreto nostro præfato anteriore peractam producebat eiusque expeditionem fieri expetebat; similiter quoad locum Chucz nuncupatum in eo quoque prolato decreto nostro anteriori partem citatam contrauenisse asserebat, atque religiosos, qui nullum vnquam prætextum impugnandæ executionis eiusdem decreti nostri anterioris habuerint, subordinasse allegabat, poenamque super eandem partem citatam eo nomine decerni et nihilominus executionem decreti eiusdem nostri ex parti dicti loci Chucz finalem fieri demandari sub poena interponenda affectabat: nos cum consiliariis ijsdem lateri nostro assidentibus, audita partis vtriusque controuersia, allegationibus ac ijs probe intellectis et examinatis, et primum quoad magistratum ciuilem citatum attinet, eo considerato, quod idem magistratus se non temere, sed ordinario iuris processu, vtpote post decretum officii sui consularis, ratione

Digitized by Google

clauium ad templum Armenicum Leopoliensem episcopo prædicto ritus itidem Armenici extradendarum ipsique templi aperiendi (a quo actores non appellauerunt) latum et ad instantiam mandatariorum reuerendissimi archiepiscopi pro illo tempore Leopoliensi et capitanei nostri loci eiusdem, non autem motu proprio ea, de quibus conueniuntur, attentasse nec metas officij sui in dicta executione facienda excessisse deducit, et insuper ad comprobandam assertionem suam per reassumptionem iuramentorum ad officia sua præstitorum, quod modum executionis eiusdem non excesserit, sed iure mediante processerit, prouocat, ideo decernendum esse duximus decernimusque præsentibus, quatenus ex magistratu quatuor consules illius temporis super assertiones suas in præmissis iuramenta ad officia sua præstita de forma et solito iuris stilo in eam rotam, quod in executione circa traditionem templi Armenici metas officii sui non excesserint, sed iuste et debite in eadem executione sese gesserint, idque coram iudicio ciuili Leopoliensi in sex septimanis a data præsentis decreti reassumant. Qua iuramentorum reassumptione, vti promissum est, peracta idem magistratus Leopoliensis ab impetitione actoreæ partis liber et absolutus omnino erit. Cæterum quod locum iudiciis Armenicis destinatum Chuez nuncupatum attinet, eo animaduerso, quod decreto nostro anteriori pronunciatum esset, vt ijdem actores ad vsum eiusmodi loci antiqui pro iudiciis Armenicis celebrandis admitterentur, cuius decreti nostri executio nulliter hucusque retardata est, ideo partem eandem pro executione eo nomine reali et finali tandem facienda ad officium castrense capitaneali Leopoliensi iuxta præscriptum decreti nostri prioris remittimus decernentes, quatenus idem locus Chuez nuncupatus (circa quem eosdem actores conseruamus) ijsdem actoribus in vsum iudiciorum Armenicorum celebrandorum realiter et in effectu in præsentia secretarii nostri specialibus literis per nos assignandi vna cum actis iudicio illo competentibus, si et in quantum aliqua ibidem reperta fuerint, et in sex septimanis a data præsentium tradatur. Ad extremum quoad ipsam personam prædicti episcopi Armenici Leopoliensis venerabilis Nicolai Torossowicz itidem conuenti vti partis magistratui ciuili Leopoliensi in causa principali adhærentis, ex certis rationibus animum nostrum mouentibus in causa eadem ad feriam secundam in crastino festi sanctissimæ trinitatis in anno currenti millesimo sexcentesimo trigesimo quarto proxime venturam expeditionem deliberationis nostræ anterioris ratione fori, vti quoque et inquisitionis intuitu thesauri iam expeditæ,

Digitized by Google

reponendæ et ex ea, contra quem de iure competierit, vlterioris cognitionis determinandæ reijcimus, terminumque eundem partibus rursum coram nobis et iudicio nostro comparendi attentandi ac sententiam nostram eo in passu vlteriorem audiendi peremptorium præfigimus et assignamus præsentis decreti in vigore, pro cuius decreti nostri executione facienda, vtpote pro præstanda iuratoria reassumptione per consules Leopolienses ad iudicium ciuile Leopoliense, pro loco vero iudiciali Chuez dicto prædictis actoribus tradendo ad officium castrense Leopoliense partes remittimus iuxta priorem superius assignationem terminorum peremptorie. In cuius rei fidem sigillum præsentibus regni nostri est subimpressum. Datum Varsauiæ feria secunda in crastino dominicæ conductus Paschæ anno domini millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, regnorum nostrorum Poloniæ tertio, Sueciæ vero quarto. Relatio reuerendissimi in Christo patris domini domini Jacobi Zadzik episcopi Culmensis et Pomezaniæ nominati, postulati Cracouiensis, supremi regni Poloniæ cancellarii.

Aus den Acten des Judicium Ciuile Leopol. Controuersiarum, Papierurkunde mit Siegel und der Unterschrift des Gerichtsnotars Math. Joh. Zaleski d. d. F. 2. ipso die et Festo solenni S. Penthecostes 1635; im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

LVII.

1641. K. Wladislaw's IV. Zollbefreiung der Armenier.

Vladislaus quartus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ Czerichouiæque, necnon Suecorum, Gothorum Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest uniuersis et singulis, eam nos semper in augendis promouendisque subditorum nostrorum commodis ac emolumentis tenere rationem, vt, si aliquando ad deteriorem conditionem eos deuenire intellexerimus, non grauatim eisdem gratiæ et beneficentiæ nostræ regiæ subsidio subuenire velimus, dignum iudicantes, vt ipsorum rationibus consulamus, ex quibus nobis et reipublicæ non mediocre accedit emolumentum. Quoniam vero ex frequentibus seniorum Armenorum Leopoliensium communitatisque eorum supplicationibus, qui sunt ab antiquo fundati a serenissimis antecessoribus nostris, intelleximus, in eam ipsos ad præsens deuenisse et delapsos esse conditionem, vt dificilem rationem vitæ

Digitized by Google

sustentandæ habeant, ex ea potissimum ratione et causa, quod, cum nonullæ ciuitates in regno nostro existentes vigore constitutionum regni a theloneis quibuscunque liberæ et immunes pronunciatæ sint, exindeque negotiationum rationes Armenis Leopoliensibus præripiant et summo in exercendis mercimonis eisdem existant impedimento, adeo vt merces eorundem, quas maximis sumptibus ac impensis summoque cum discrimine salutis et fortunarum suarum ex longinquis regnis et regionibus transportant, vilescant nec iusto prætio diuendi possint, quam ob rem domicilia sua deserere ac mutare et alio sese transferre cogantur: proinde nos cum consiliariis nostris ad præsens lateri nostro assidentibus pro eo, quod omnes subditos nostros fouere debemus et solemus affectu, id potissimum considerantes, ne ciuitates nostræ, quæ regimini primarie nostro et protectioni regiæ subsunt ac reipublicæ pacis ornamenta atque belli subsidia existunt, inopiæ ac desolationi succumbant et parno commodo publico in maius detrimentum reipublicæ deteriorentur, vilescant et intereant, id nobis faciendum duximus, vt memoratos Armenos in ciuitate nostra Leopoliensi intra muros degentes simili libertate, qua nonullæ ciuitates in regno nostro ex constitutionibus gaudent, ipsos quoque ex benignitate nostra regia conseruationi fortunarum ipsorum longo tempore et multo labore atque sudore acquisitarum consulentes libertatem et immunitatem similem a soluendis reipublicæ theloneis donaremus et gaudere permitteremus, prout quidem hisce literis nostris donamus gaudereque ac frui concedimus ac permittimus, cum ea declaratione, vt ab omnium theloneorum ratione mercium quarumque et pecuniarum, quas in regnum et extra regnum euehent et inuehent, ac cum ijsdem per ditiones nostras proficisci ipsis contigerit, liberi sint atque immunes, ita tamen, vt in regestris per theloneatores et notarium a magnifico supremo regni thesaurario ad hunc actum designatum conscribantur et regestra fideliter asseruentur ad futuram in commitiis regni generalibus decisionem. Quod omnibus et singulis, quorum interest, præsertim vero theloneorum administratoribus et vectigalium exactoribus in finibus regni nostri aliisque quibusuis in locis existentibus notum esse volentes, ijsdem mandamus, vt supramemoratos Armenos Leopolienses circa eam libertatem et immunitatem superius nominatam et specificatam conservent et manu teneant, conservarique et manu teneri faciant, nec vllam eo nomine ipsis facessere præsumant molestiam aut difficultatem, idque pro gratia nostra secus non facturi. In cuius rei fidem præsentes

Digitized by Google

manu nostra subscriptas sigillo regni communiri mandamus. Datum Varsauiæ die quinta mensis Septembris anno domini MDCXLII, regnorum nostrorum Poloniæ X, Sueciæ XI anno.

Vladislaus rex m/p. Joannes Gębicki secretarius regni m/p.

Pergamènturkunde mit rothem Wachssiegel an weiss-roth-grüner Seidenschnur, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

LVIII.

1648. K. Wladislaw's IV. Sentenz die Competenz des bürgerlichen Gerichts betreffend.

Vladislaus quartus dei gracia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Czernichouiæque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorum hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, citatum fuisse ad nos et iudicium nostrum literis citationis nostræ excellentem Martinum Nicanorem Janczewski medicinæ doctorem tanquam protunc aduocatum ordinarium ciuitatis nostræ Leopoliensis ex officio causa infrascripta bonisque ipsius generaliter omnibus ad instanciam instigatoris nostri eiusque delatorum honoratorum Christophori Zachnowicz, Iwaskonis Stephanowic, Gabrielis Kaprusiowicz et Christophori Bernatowicz Armenorum civium Leopoliensium ac iudicii Armenicalis Leopoliensis seniorum iuratorum, suo et aliorum collegarum suorum atque adeo totius communitatis Leopoliensis Armenicæ nationis nominibus agentium actorum pro eo, quia ille probe sciens, quibus iuribus et priuilegiis, prærogatiuis et immunitatibus Armeni in et extra ciuitatem Leopoliensem degentes, a serenissimis regibus Poloniæ antecessoribus nostris donati, gaudeant, non attentis eisdem ipsorum iuribus et decretis priuilegiis, nec poenas in priuilegiorum nostrorum conuulsores sancitas aliasque in decreto nostro racione non præpediendæ actoribus iurisdictionis lato extensas ueritus, quasi in contrarium eorundem iurium et priuilegiorum ausus est causam inter honestam Zophiam Hozina et famatum Torossium Dadurowicz Armenum pari iure cum ciuibus Armenis gaudentem, ratione deoccupacionis institæ pauperum non in iudicio Armenicali priuilegiato ipsique competenti, sed domi suæ priuatæ solus ex officio suo aduocatiali, non auditis ipsius

Digitized by Google

fori exceptionibus peremptorijs, quas ad iudicium suum Armenicale opponebat, nec appellationibus eo nomine per ipsos interpositis admissis, per omnes processus terminos iudicare ac iurisdictionem illegitime super ipsos extendere eoque facto authoritatem iudiciorum Armenicalium priuilegiatam conuellere, prout protestatio contra illum eo nomine per actores facta latius præmissa enarrat et obloquitur, ad uidendum et audiendum illum, acsi contrauentorem esse, conuulsorem priuilegiorum nostrorum adinueniri, pro eoque poenis conuulsionis tum et poenam quadringentarum marcarum in decreto nostro expressam illum succubuisse adinueniri, ad luendas decreto nostro omnino stringi et compelli, et nihilominus in damnis per actores . . . . causante perpessis ac simplici ipsius assertione liquidandis condemnari, utque insuper a tali ausu abstineat, serio sub præmissis et aliis arbitrio nostro irrogandis poenis prohiberi, citatione ipsa de præmissis fusiore. Quo in termino ex eadem citatione legitime incidente cum pars citata excellens Martinus Nicanor Janczewski, tanquam aduocatus et iudex ordinarius ciuitatis nostræ Leopoliensis protunc citatus, per clarissimum Samuelem Casimirum Kuszewicz j. u. d. ciuitatis eiusdem syndicum comparens eumque terminum attentans, actores uoce ministerialis t. r. generalis infrascripti acclamatos, non tamen per se nec per suum quempiam plenipotentem comparentes, in euasione causæ præsentis et refusione damnorum ac litis expensarum ex admissione iudicii nostri feria sexta in uigilia festi Sancti Thomæ apostoli anno domini millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo condemnasset, ex tunc tempestiue ad cancellariam decretorum nostrorum superueniens nobilis Sebastianus Czarnoleski, nobilis Martini Swieczynski causarum curiæ nostræ patroni famulus, eandem condemnationem nomine eorundem actorum arrestauit. In termino itaque hodierno ex eodem arresto ut supra imposito legitime ad præsens incidente et hucusque continuato, partibus supranominatis, citata nempe excellenti Martino Anczewski aduocato per nobilem Thomam Bystrzicki plenipotentem suum coram nobis et iudicio nostro comparente eumque terminum attentante, actorea uero uoce ministerialis terrarum regni generalis nobilis Gaspari Golkowski tribus, et ultra solitum iuris quatour uicibus, ad nos et iudicium nostrum acclamata, non tamen per se nec per suum quemuis legitimum plenipotentem comparente, nos cum consiliariis et iurisperitis nostris, audita præfati ministerialis relatione de acclamacione partis actoreæ iterum post arrestum facta, in contumaciam eius, ad legitimam uero et iuridicam partis citatæ

Digitized by Google

affectationem, eosdem actores, nempe seniores Armenos Leopolienses, in euasione causæ et refusione damnorum ac litis expensarum iterum post arrestum condemnandos esse duximus, uti quidem condemnamus, et in uim euasionis eiusmodi citatum excellentem Martinum Janczewski a causa præsenti uti incompetenti et impetitione actorum liberum et absolutum facimus et pronunciamus, ipsisque aetoribus perpetuum silentium iniungimus et imponimus. Damna uero et litis expensas simplici partis citatæ assertione sine iuramento aut alia moderacione liquidanda eidem parti citatæ adiudicamus ad earumque realem et effectualem persolutionem citato excellenti Martino Anczewski irremissibiliter sine quibusuis dilationibus faciendam actores omnino teneri et adstrictos esse debere declaramus, præsentis decreti nostri uigore. Pro cuius executione, uidelicet damnorum et litis expensarum refusione per actores irremissibiliter facienda, partes præfatas ad officium castrense Leopoliense in termino, dum pars partem ad id legitime adcitauerit, peremptorio remittimus eidemque officio castrensi Leopoliensi, quatenus ad primam requisicionem citati decretum nostrum præsens debitæ et indilatæ executioni, semotis quibusuis actorum tanquam iterum post arrestum condemnatorum exceptionibus, demandet, ad effectualem executionem deduci omnino procuret et manum adhibeat, serio iniungimus et mandamus. In cuius rei fidem præsentibus sigillum regni est appressum. Datum Varsauiæ feria tertia postridie festi ss. trium regum annò domini millesimo sexcentesimo quadragesimò octauo, regnorum nostrorum Poloniæ XV, Sueciæ uero XVI anno.

Georgi Ossolinsky
cancell. r. supr. m/p.

Relatio illustrissimi domini Georgii a Thenczyn Ossolinski supremi regni cancellarii, Lubomlensis, Adzelensis Ricensisque etc. capitanei.

Papierurkunde im Lemberger Stadtarchiv mit Siegel, Fasc. 396.

LIX.

1651. K. Johannes Casimir's Handelsprivilegium.

Joannes Casimirus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Cernichouiæque, necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius rex,

Digitized by Google

significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, in capessendo beneficiorum nostrorum vsu eam nos semper ducere rationem, vt, quemadmodum bona nostra et reipublicæ, potissimum vero ciuitates, quæ primariæ regimini protectionique subsunt regiæ, pacis ornamenta atque belli fulcra et subsidia existunt, ita incolas et conciues earundem æquum est coadunari, vt ab eo, quod ex nostra liberalitate in vnos derivatur, alteros fide, subiectione et obsequio consimiles non reddamus alienos. Quare cum nobis supplicatum esset per famatos Christophorum Awedyk Bernatowic, Christophorum Iwaszko Liskowic et Christopherum Joannem Bernatowic, suo et vniuersæ nationis Armenorum Leopoliensium nomine, qui a compluribus annis incolatu in eadem ciuitate nostra Leopoliensi adepto continua serie integerrimam fidem et subiectionem prædecessoribus nostris seruauerunt, nuperrime vero tempore obsidionis Leopoliensis per Tartaros et Kosacos rebelles eandem fidem et constantem animum nobis et reipublicæ testati sunt, ibidemque non tantum bona, fortunas et facultates suas, verum chara pignora vitamque ipsam in victimam pro incolumitate ciuitatis vna cum alijs ciuibus consecrauere, necnon magnam summam exolvendo lytro erogauere, dumque hac temporum tempestate et incendio intestino, quo regnum nostrum suscitata rebellione hucusque exagitatur, memorati Armæni Leopolienses per cædes, prædas et spolia, aliaque varia itineris incommoda, quibus cum mercibus rebusque suis sunt obnoxii, multique, prout nobis innotuit, ex collegio eorum non tantum mercibus spoliati, verum etiam ipsi trucidati sunt, vnde commodis, emolumentis et fortunis amissis, ad vltimam egestatem et inopiam reducti, vt, quemadmodum sentiunt incommoda, communiaque sufferunt onera, pariter quoque cum alijs ciuibus Leopoliensibus sentiant commoda et emolumenta, neve inopiæ ac desolationi succumbant, ac in majus detrimentum reipublicæ deteriorentur et intereant, nos eam ob causam supplicationi eorum apud nos factæ benigne annuentes, ex clementia nostra regia, necnon ad intercessionem certorum consiliariorum nostrorum lateri nostro assidentium, memoratos Armenos vti subditos nostros subleuare ipsorumque rationibus prospicere cupientes, eo vel maxime præ oculis habito, ne conditio eorum deterior fiat, vtque pari libertate et immunitatibus cum aliis in eadem ciuitate nostra Leopoliensi inhabitantibus gaudeant, præsertim dum variæ conditionis mercatoribus a spectabili magistratu Leopoliensi in domibus et plateis omnis generis merces venum exponere et distribuere concessum esse scimus,

Digitized by Google

vtpote Italis, Ruthenis, potissimum vero Judæis, cum se in omnia mercimonia, non sine summo eorum totiusque ciuitatis præiudicio, ingerant, in foro publico omnes merces sericeas, auroque textas, necnon pannos prætiosos, quos ante hac memorati Armeni tantum pro vsu et necessitate publica subministrare et acquirere consueuerant, apotecarij quoque contra vsum et legem antiquam aromata, quæ nonnisi concussa minori quantitate diuendere tenebantur, nunc pro libitu pondo distribuunt, vnde omnes fere viuendi rationes memoratis Armenis deesse videntur, quapropter illis omnis generis negotiationes benigne et clementer concedendas et permittendas esse duximus, prout concedimus et permittimus præsentibus literis nostris, ita vt harum literarum nostrarum vigore iidem Armenj Leopolienses possint et valeant pannos tunna seu vlna tam in foro publico quam in plateis suis diuendere, fornices et institas aperire, liquores omnes in genere, videlicet cereuisiam, mulsum, vinum adustum in domibus suis coquere, tum et dolio seu ola et mensura pro exigentia cuiusuis propinare, necnon vinum Creticum, Hungaricum, Moldauicum itidem dolio seu ola et mensura pro necessitate et exigentia in celarijs domibusque propriis et conductitiis propinare, ac insuper alias quasuis meroes ad vsum et necessitatem publicam spectantes diuendere et distribuere, haeque facultate et beneficio, ad subleuandas eorum rationes benigne et clementer a nobis concesso, memoratos Armenos absque quorumuis, præcipue magistratus Leopoliensis, præpeditione et impedimento gaudere et vtifrui volumus perpetuo et in æuum, pro gratia nostra regia. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Datum Varsauiæ die XIV mensis Januarii anno domini MDCLI, regnorum nostrorum Poloniæ II°, Sueciæ III° anno.

Joannes Casimirus rex. Albs. Kadzialonzkj
secret. reg. maiest.

Pergamenturkunde im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396. Das Siegel ist weggerissen, wodurch auch die Urkunde zum grössten Theile durchgerissen ist. Der königliche Name am Anfang ist mit Gold geschrieben, darüber und seitwärts Verzierungen.

Digitized by Google

LX.

1654. K. Johannes Kasimir's Sentenz betreffend die Handelsbefugnisse, Propination, Häuserbesitz der Armenier u. a.

Joannes Casimirus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czernichouiæque, necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, citatos fuisse ad nos et iudicium nostrum assessoriale literis citationis nostræ honoratos seniores totamque nationem Armenorum Leopoliensium de officiis causa infrascripta bonisque ipsis omnibus ad instantiam spectabilium et famatorum proconsulis, consulum, aduocati, scabinorum totiusque communitatis nostræ Leopoliensis actorum, ad reponendum certum quoddam priuilegium nostrum per eosdem citatos ac si ad malam et sinistram cancellariæ nostræ informationem ratione exercendorum omnis generis mercimoniorum et propinandorum quorumvis liquorum aliarumque rerum in eodem priuilegio expressarum contra antiqua iura ciuitatis nostræ Leopoliensis et contra decreta serenissimorum diuæ memoriæ antecessorum nostrorum inter præfatos Armenos et ciues catholicos Leopolienses lata obtentum, ad videndum itaque et audiendum præallegatum priuilegium per ipsos, vti præmissum est, indebite contra antiqua iura, priuilegia et decreta obtentum reponi, cassari et annihilari, citatos modernos ad eum statum, in quo vigore eorundem iurium, priuilegiorum et decretorum antea fuerunt et esse iure merito debent, restitui idque, quod æquitatis et iustitiæ fuerit, contra ipsos statui ac sententiari, citatione ipsa de præmissis latiore. Quo in termino ex eadem citatione cadente cum partes supranominatæ, actorea videlicet magistratus ac communitas Leopoliensis per spectabilem et honoratum Mathiam Zaleski consulem, Franciscum Olkuski notarium et Joannem Chomicki syndycum Leopolienses, citata vero nempe honorati seniores et tota natio Armenorum Leopoliensium per honoratum Christophorum Auedik Bernatowicz, Joannem Warterysowicz, Christophorum Joannem Bernatowicz, Simonem Steczkiewicz et Christophorum Zadikiewicz coram nobis et iudicio nostro assessoriali Varsauiæ feria sexta post dominicam Misericordiæ proxima anno ad præsens currenti comparerent eumque terminum attentarent, idem iudicium assessorum nostrorum causam eandem cum toto ipsius

Digitized by Google

effectu ob concurrentiam iurium et præsertim decretorum serenissimorum olim diuæ memoriæ Stephani, Sigismundi tertij atque Vladislai quarti regum Poloniæ ad nos et iudicia relationum nostrarum propriarum remisit. In termino itaque hodierno ex eadem remissa legittime ad præsens proueniente et hucusque continuato cum partes supranominatæ, actorea videlicet spectabilis magistratus Leopoliensis per excellentem ac spectabilem Martinum Nicanorem Anczewski consulem, Bartholomæum Zimorouicz aduocatum, Samuelem Casimirum Kuszewic notarium et Joannem Chomicki syndycum Leopoliensem, communitas autem Leopoliensis per honoratum Nicolaum Boim Dziurdzi, citati vero honorati seniores per honoratum Christophorum Auedic Bernatouicz, Christophorum Joannem Bernatowicz, Simonem Steczkiewicz, Christophorum Zadikiewicz, porro tota natio Armenorum Leopoliensium per famatum Jacobum Wartanouicz et Stephanum Kirkorouicz coram nobis et iudicio nostro comparerent eumque terminum attentarent, et in controuersias suas iure mediante inter se descenderent, et actorea quidem pars nullitatem controuersi priuilegii allegaret ex eo potissimum, quod decreta bina declaratoria serenissimi olim Sigismundi tertij, vnum quidem ratione incisionis pannorum, diuenditionis variarum mercium, propinationis liquorum varij generis atque exercendorum artificiorum, aliud uero acquisitionis et coemptionis lapidearum in ciuitate nostra Leopoliensi consistentium per serenissimum olim Sigismundum tertium lata et promulgata intercesserint, tum quod priuilegiis suis concessionem præmissorum non habeant ac iudicia seorsiua Armenica celebrent, inferret cassationemque priuilegij ex multis allatis rationibus expeteret; in oppositum citata, scilicet honorati Armeni suo ac totius communitatis Armenorum ciuium Leopoliensium nomine agentes, primum quidem contra actores ratione indebite sibi obiectæ imparitatis et inæqualitatis iuris quærelam coram nobis deponerent eamque supremæ maiestatis nostræ considerationi et cognitioni subijcerent, quodque eadem allegatio parti actoreæ in causa hac minime suffragari possit, contrarium ex deductionibus iurium et priuilegiorum a ducibus et regibus Poloniæ obtentis deducerent; imprimis autem priuilegium Demetrii ducis anno millesimo sexagesimo secundo, quo primum tempore natio Armenica in subsidium belli et ex necessitate publica in prouinciam Russiæ in quantitate notabilis exercitus adscita et vocata fuerit, priuilegiumque ipsis speciale ab eodem duce Russiæ vbiuis locorum habitandi et incolendi concessum fuerit, producerent; demum vero secundum mille-

Digitized by Google

simi trecentesimi quinquagesimi sexti priuilegium collationis iurꝭ Maideburgici ciuitati, quo etiam Armenos serenissimus Casimirus Magnus circa iura ritumque ipsorum, tum etiam de anno millesimo trecentesimo octuagesimo Ludouici regis, subsequenter de anno millesimo trecentesimo octuagesimo septimo Elisabethæ reginæ, vbi Armenos in ciuitate Lemburgensi intra et extra muros ciuitatis cohabitantes in suis consuetudinibus et iuribus, quibus ante hac tempore serenissimi Cazimiri regis Poloniæ vsi fuerunt, conseruauerant; necnon priuilegium Vladislai regis de anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, quo Armenos cum eorum mercibus sine quouis impedimento, prout et exteros mercatores et regnicolas in ciuitatibus et oppidis degentes permittere concedit; subsecutam posthac confirmationem in anno millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto per Casimirum regem in conuentione Petricouiensi, qua conceditur Armenis vti aliis regnicolis libera venditio, propinatio et negociatio omnium mercium et liquorum; ad hunc priuilegium Alexandri regis millesimi quingentesimi quinti in comitiis Sandomiriensibus, quo Armenos Leopolienses vti in vno incolatu habitantes communiaque onera ferentes iisdem libertatibus et iuribus vti et alios incolas ciuitatis gaudere debere conseruatum, hoc idemque priuilegium in comitiis Petricouiensibus confirmatum; demum priuilegium Sigismundi primi, quo in institis cuiuslibet conditionis, status et fidei libera diuenditio omnium mercium conceditur; ac priuilegium Sigismundi Augusti, quo Armenos in iure ipsorum non secus ac si alios ciues Leopolienses conseruauerat; ac aliud eiusdem priuilegium, quo Armenos non minus esse debereque censeri ciues Leopolienses quam reliquos, qui eo nomine gaudent, quando quidem eandem ciuitatem incolant illiusque onera pariter et æqualiter cum ciuibus ferant; insuper decretum eiusdem Sigismundi regis Augusti in comitiis regni, quo libertas ad solutionem theloneorum per vnum ex Armenis nomine communitatis Armenorum vnacum consulibus, scabinis et duobus ex communitate ciuibus vti æque per ciuem iuratum euicta; tandem decretum Stephani regis, quo Armeni secundum iura et priuilegia sua una cum ciuibus in libertatibus adæquati, iisdem libera diuenditio mercium, propinatio liquorum, incisio pannorum ac aliarum libertatum in perpetuum adiudicata est; ad extremum decreta Sigismundi tertij ac serenissimi olim Vladislai quarti, quo tota communitas ciuitatis Leopoliensis Armenos agnoscit esse continerique in communitate ciuium Leopoliensium, aliis quam plurimis probationibus et deductionibus se

Digitized by Google

esse ab antiquo ciues ac paritate iuris gaudere deducerent, exindeque sibi vti ciuibus æque ut aliis omnes prærogatiuas, libertates, fructus, emolumenta quæuis ciuitatis, eo insuper addito, quod non sint peregrini nec aduenæ, sed natiui et incolæ ac iurati fidelesque nobis et reipublicæ, tum quod iuramenta fidelitatis vti ciues in felici coronatione nobis præstant, competere debere deducerent ac comprobarent; declarationem vero Sigismundi tertii non posse causam præsentem afficere, cum eadem decretum serenissimorum olim non tollat, imo Armenos pro ciuibus haberi et iisdem libertatibus et prærogatiuis vti debere declarat. Tum quod hæc eadem declaratio ex defectu iurium et priuilegiorum originalium, quæ tunc temporis non producebantur, ad præsens vero producuntur per partem citatam, imo tantummodo innixi decreto Stephani regis eiusdemque perpetuitati confidendo se tutati fuerint. Tum quod pars actorea in controuersiis suis protunc post decretum Stephani regis allegauit, se reperisse noua priuilegia, quæ ad præsens non producit. Insuper quod euidentibus documentis et probationibus pars citata euicit, modernos actores violasse iura ciuibus Leopoliensibus, præcipuo vero Armenis Leopoliensibus super depositorium seruientia, et quod pacta cum Judæis cum simili præiudicio inierunt, diuenditionemque mercium, quæ solis Armenis vigore declarationis competebat, Judæis et aliis aduenis et peregrinis in lapideis fori acialibus et plateis contra præscriptum priuilegiorum et decretorum cum desolatione institarum muratarum, vulgo bogate kramj dictarum, concesserint, ipsi quoque ciui et consules Leopolienses mercari mercibus Armenicis et aliis quibusuis tam incisionibus pannorum quam et propinationibus quorumcunque liquorum promiscue vtifrui et easdem propinationes aliis Ruthenis et quibusuis incolis vltro concedere soleant, allegarent et deducerent. Ad extremum lapideas eosdem ciues contra mentem decretorum tam in circulo quam in plateis religiosis personis, Ruthenis, Judæis, vltra præscriptum decreti et ipsam æquitatis rationem diuendant et distrahant, Armenis vero ex solo odio impediant, assererent, taliterque iuri per ipsos allegato in toto derogasse et beneficio eiusdem decreti nullatenus gaudere posse deducerent. Priuilegium vero per citatos legitime esse obtentum ex præallegatis iuribus, priuilegiis, decretis manifesto abusu et derogatione tum et ex aliis rationibus rerum et temporum mutatam conditionem repræsentantibus irreponibile adinueniri, atque se circa idem in toto et in perpetuum conseruari expostulent. E conuerso actoribus post inducta iura, priuilegia, docu-

Digitized by Google

menta et alias rationes, Armenos ciues Leopolienses esse non inficiantibus, æqualitatem fructuum ciuitatis ob diuersam negotiationem et iudicia non agnoscentibus, conseruarique circa declarationem serenissimi Sigismundi tertii de anno millesimo sexcentesimo expetentibus. Nos cum consiliariis lateri nostro assidentibus, auditis partium ambarum controuersiis, ac visis iuribus, priuilegiis et decretis per serenissimos olim antecessores nostros, nempe Casimirum Magnum, Vladislaum, Alexandrum, Sigismundum primum, Sigismundum Augustum et Stephanum reges Poloniæ, nationi Armenicæ ciuitatem Leopoliensem ab annis sexcentis inhabitanti benigne collatis, remissa per iudicium nostrum assessoriale ad nos iudiciumque nostrum facta necessaria adinuenta, illam expediendo, primo ea in causa deliberauimus, ac tandem post præhabitam maturam deliberationem nostram, quandoquidem ex præfatis priuilegiis manifeste deductum est, quod magistratui in iure Maydeburgico fundato regimen ciuitatis collatum est, Armeni vero circa primæuam collationem iuris Maydeburgici ciuitati Leopoliensi per serenissimum olim Casimirum Magnum in anno millesimo quingentesimo (!) quinquagesimo sexto datam, circa vsum iurium et rituum suorum tamquam ciues conseruati sunt, ac subsequenter a Vladislao et Alexandro omnes homines nationis Armenicæ ciuitatem nostram Leopoliensem inhabitantes signanter et nominatim ciues appellantur ac specifice ciuibus omnibus exæquantur, iisdemque immunitatibus et libertatibus ciuitati Leopoliensi seruientibus per interruptam tot sæculorum seriem tanquam ciues æquabiliter vtebantur, ac decreto serenissimi olim Stephani regis in anno millesimo quingentesimo septuagesimo octauo ex solenni partium earundem controuersia lato, Armenos a communitate ciuili prærogatiuisque ac libertatibus quibusuis non esse exclusos, imo iuribus et prærogatiuis ciuitatis quoad commoda sicut alios ciues gaudere debere, sententiatum est, tum et propinatio liquorum ipsis sicut et aliis ciuibus, necnon incisio pannorum præciosorum rerumque sericarum æquo iure cum cæteris ciuibus, vsus denique et prærogatiua pannicidiorum communiter słowo dictorum (?) in fenestris ordinatis et priuilegiatis pro incidendis omnis generis pannis more aliorum ciuium adiudicatus est. Ad extremum ad artificia quæuis ediscenda, laboranda ac exercenda libera ipsis facultas concessa est, decreto denique serenissimi olim Sigismundi tertii diui progenitoris nostri hoc idem decretum Stephani regis approbatur nec tolli posse decernitur. Ideo inhærendo iisdem iuribus, priuilegiis et decretis, Armenos præfatos tamquam

Digitized by Google

ciues ex antiquissimis temporibus in vno corpore communitatis ciuitatis Leopoliensis existentes circa priuilegium nostrum ipsis in anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo gratiosissime collatum, quod antiquissimis illorum iuribus innitur, nec priuilegiis et decretis serenissimorum antecessorum nostrorum est contrarium, declarationemque serenissimi progenitoris tantummodo ampliat et extendit, quæ ampliatio et extensio inter ciues paritate iuris et æqualitate gaudentes, prout ipsimet actores in facie iudicii nostri ipsos Armenos agnoscerunt esse ciues et conciues suos, nemini præiudicium infert, conseruandos et manutenendos esse duximus, prout præsenti præfato priuilegio nostro ex rationibus iuridicis superius allegatis et ex priuilegiis originalibus reproductis irreponibili adinuento conseruamus et manutenemus perpetuo et in æuum. Ne tamen in posterum alicuius litis causa et occasio inter easdem partes exoriatur, inhærendo iuri publico, iustitiæ, æquitati ac æqualitati, eoque potissimum attento, quod natio hæc Armenica in fide et constantia erga serenissimos antecessores nostros et nosmet ipsos semper et integre perseuerauit, et ad præsens in vnione sanctæ ecclesiæ catholicæ et apostolicæ se persistere iudicialiter declarauit, tum quod onera omnia tam publica quam priuata in commune confert, ita ratione infrascriptorum decretorum serenissimi olim Sigismundi tertii parentis nostri desideratissimi ampliandum et extendendum esse duximus, prout ampliamus, extendimus ac decernimus, quatenus liberum et licitum sit ciuibus Armenis, fenestras priuilegiatas vltra illas duas decreto serenissimi Sigismundi regis assignatas tres adhuc, ita vt simuliunctæ sint numero quinque, habere et possidere, in quibus more aliorum ciuium habebunt ciues Armeni ius et potestatem pannos omnis generis, speciei, coloris, quantitatis et qualitatis incidere, et siue vlnatim alias na łokiec, siue integris petiis alias postawem y belnie vendere, commutare et distrahere. Concedimus item iisdem ciuibus Armenis liberam facultatem et potestatem domos lapideas numero decem in circulo ciuitatis Leopoliensis sitas coemere ac iure hæreditario et perpetuo acquirere, vltra has domos, quas vigore decreti præfati serenissimi olim Sigismundi tertii parentis nostri desideratissimi septuaginta tres habent et possident, antequam tamen eas domos coemerint, liberum ipsis erit totidem domos ac ibidem ex conducto possidere. Quantum porro attinet propinationem liquorum, ita statuimus et sententiamus, quod vnicuique ex ciuibus Armenis vtriusque sexus omnes liquores, vini Malmatici, Cretici, Vngarici, Valachici, Moldauici, alteriusque cuius-

Digitized by Google

cunque sortis in domibus suis omnibus supradictis tam integris cuppis siue doliis, quam et per congios alias na garnce y kwarty vendere et propinare, mulsa quoque, cereuisiam et cremata in domibus suis coquere, braxare et braseare, eademque siue per dolia siue per congios vendere et propinare liberum, licitum et omnino absolutum sit, eo nihilominus intra se ordine seruato, cui seniores Armenici attendent, quod, quicunque ex ciuibus Armenis vina supra specificata in domo sua modo superius descripto vendet et propinabit, huic tamen non licebit mulsum, cereuisiam atque crematum in domo sua braxare, braseare et coquere, neque eadem vendere et propinare, prout vicissim, qui coquet et propinabit mulsum, non poterit iam vina et cereuisiam cum cremato in domo sua coquere nec propinare, ac denique qui coquet, vendet ac propinabit in domo sua cereuisiam ac crematum, iam non licebit ei vina nec mulsum vendere et propinare. Artificia item omnia ediscere, laborare et exercere plenariam et omnimodam habebunt potestatem et facultatem, dummodo duos tantum nationis suæ vniuscuiusque artificii magistros foueant et habeant, ac iura contubernii legitime adeant et suscipiant. Ad extremum magistratui ciuitatis nostræ Leopoliensis omnino interdicimus, ne ad libertates et iura ciuitatis ac immunitates Armenis ciuibus Leopoliensibus concessas et ampliatas homines externos alienigenos, vtpote Turcas, Saracenos et Armenos externos, suscipiant præter hos Armenos, qui iam iura ciuitatum in regno existentium alibi possident et a senioribus nationis Armenicæ recommendati fuerint. Quod quidem decretum nostrum et ordinationem hanc perpetuo et inuiolabiliter per partem vtramque tam Armenos ciues quam et magistratum nostrum Leopoliensem manuteneri et obseruari volumus, idque sub vadio duorum millium aureorum Vngaricalium per partem contrauenientem succumbendo et fisco nostro applicando, præsentis decreti nostri vigore. In cuius rei fidem sigillum regni nostri præsentibus est appressum. Datum Varsouiæ feria tertia in crastino festi sancti Laurentij martyris anno domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, regnorum nostrorum Poloniæ sexto, Sueciæ vero septimo anno.

Stephanus de Pika Korycinski supremus cancellarius regni m/p.

Relatio illustrissimi domini Stephani de Pika Korycinski supremi regni cancellarij capitanei. Stanislaus Zurowski s. r. maiestatis secretarius et notarius.

Papierurkunde mit aufgedrücktem Siegel und der Unterschrift des obersten Reichskanzlers, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

Digitized by Google

LXI.

1659. K. Johannes Casimir's Confirmatorium der Urkunde K. Wladislaw's IV. vom Jahre 1633, wodurch den Armeniern alle ihre Rechte, Freiheiten etc. bestätigt wurden.

Joannes Casimirus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæque, necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, quod, cum exhibitæ et reproductæ coram nobis fuissent totius communitatis Armenorum Leopoliensium nomine literæ pergameneæ authenticæ manu diuæ memoriæ serenissimi regis Vladislai fratris nostri desideratissimi subscriptæ sigilloque regni pensili communitæ, confirmationem generalem iurium eidem communitati Armenicæ a serenissimis olim regibus Poloniæ prædecessoribus nostris benigne concessorum ac per serenissimum Vladislaum regem dominum fratrem nostrum charissimum approbatorum in se continentes, sanas, saluas, illæsas, omnique suspicione carentes, supplicatumque nobis est ad præsens eorundem nomine, quatenus easdem literas confirmationis authoritate nostra regia approbare et confirmare dignaremur, quarum is qui sequitur de verbo tenor: Vladislaus quartus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque, necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius rex electus, magnus dux Moschouiæ, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, quia in hoc publico coronationis nostræ conuentu omnia iura — obseruari volumus. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni consignari iussimus. Datum Cracouiæ in comitiis felicis coronationis nostræ die 10 m. Martii a. d. 1633, regnorum nostrorum Poloniæ et Sueciæ anno primo. Cui quidem supplicationi humillimæ porrectæ nos benigne annuentes, præsentes literas confirmationis generalis iurium hasce in omnibus et singulis earum punctis, clausulis, articulis, conditionibus et contentis vniuersis approbandas et confirmandas esse duximus, vti quidem, in quantum iuris ratio permittit vsusque earum habetur, approbamus et confirmamus præsentibus literis nostris, decernentes, vim et robur debitæ ac perpetuæ firmitatis obtinere debere. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscripsimus sigilloque regni pensili commu-

Digitized by Google

niri iussimus. Datum Cracouiæ in comitiis felicis coronationis nostræ die decima quinta mensis Februarii anno domini MDCLIX, regnorum nostrorum Poloniæ . . , Sueciæ . . anno.

Joannes Casimirus rex. Locus sigilli. Thomas Vieyski regiæ maiestatis secretarius m/p.

Aus König August's II. Confirm. v. 1697.

LXII.

1669. K. Michael's Confirmatorium aller armenischen Rechte, Freiheiten etc. und insbesondere der Generalconfirmation K. Johannes Casimir's vom Jahre 1659.

Michael dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæque etc. significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, vniuersis et singulis, quia, quamuis augustissimæ inauguratiouis nostræ tempore Cracouiæ omnium regni nostri ordinum, singulorum etiam potestati nostræ subiectorum hominum publica et priuata iura et priuilegia, a quibuscunque maioribus nostris concessa et edita, conseruaturos nos et rata firmaque habituros esse confirmauerimusque, tamen cum nonnulli consiliarii nostri nomine totius communitatis Armenorum Leopoliensium nobis supplicassent, vt omnia eorum iura, priuilegia, libertates, immunitates et consuetudines, quibus hucusque vsi sunt et vtuntur, præsertim vero confirmationis serenissimi Joannis Casimiri prædecessoris nostri literas authoritate quoque nostra confirmare, approbare et innouare dignaremur, quarum tenor de verbo ad verbum sequenti continetur serie et contextu: Joannes Casimirus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæque, necnon Sueccorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius rex, significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, vniuersis et singulis, quod, cum exhibitæ et reproductæ coram nobis fuissent totius communitatis Armenorum Leopoliensium nomine literæ pergameneæ authenticæ manu diuæ memoriæ serenissimi regis Vladislai fratris nostri desideratissimi subscriptæ sigilloque regni pensili communitæ, confirmationem generalem iurium eidem communitati Armenicæ a serenissimis olim regibus Poloniæ præde-

Digitized by Google

cessoribus nostris benigne concessorum ac per serenissimum Vladislaum regem dominum fratrem nostrum charissimum approbatorum in se continentes, sanas, saluas, illæsas omnique suspicione carentes, supplicatumque nobis est ad præsens eorundem nomine, quatenus easdem literas confirmationis authoritate nostra regia approbare et confirmare dignaremur, quarum is qui sequitur de verbo tenor. Vladislaus quartus dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque, necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius rex electus, magnus dux Moschouiæ, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis — Datum Cracouiæ in comitiis felicis coronationis nostræ die decima mensis Februarii anno domini MDCLX, regnorum nostrorum Poloniæ . . , Sueciæ . . anno. Joannes Casimirus rex. Locus sigilli. Thomas Vieyski regiæ maiestatis secretarius m/p. Proinde nos Michael rex supranominatus supplicationi prædictæ pro communitate Armenorum Leopoliensium apud nos interpositæ tum respectu ipsius æquitatis et iustitiæ, qua iura omnia regnorumque et imperiorum felicitatem, tranquillitatem et diuturnitatem agnoscimus, benigne annuentes, hoc nimirum præsenti inaugurationis nostræ tempore, quo leges et ordinaciones prolapsas erigi, erectas firmari, firmatas augeri, ac subditorum nostrorum omnium immunitates, libertates et prærogatiuas non modo antiquas conseruari, verum etiam ordinationes institui prædecessorum nostrorum laudabilis obseruatio hucusque extitit, præinsertam serenissimi Joannis Casimiri prædecessoris nostri charissimi confirmationem, ac omnia ipsius introcontenta in omnibus punctis, clausulis, articulis, contentis et conditionibus, tam in toto quam in parte, quantum de iure sunt, approbandas, confirmandas et ratificandas esse duximus, prout approbamus, confirmamus et ratificamus hisce literis nostris, decernentes easdem vim et robur debitæ et inuiolabilis firmitatis obtinere debere. In quorum fidem præsentes manu nostra subscripsimus et sigillo regni communiri mandauimus. Datum Cracouiæ in comitiis felicis coronationis nostræ die quinta mensis Novembris anno domini MDCLXIX, regni vero nostri primo anno.

Michael rex. Locus sigilli pensilis maioris cancellariæ regni. Hieronymus Pinocci regiæ maiestatis secretarius m/p.

Aus König August's II. Confirmat. v. 1697.

Digitized by Google

LXIII.

1676. K. Johann's III. Confirmatorium aller armenischen Rechte, Freiheiten etc. und insbesondere der Generalconfirmation K. Michael's vom Jahre 1669.

Joannes tercius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæque etc. significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis: inter alia felicis regiminis nostri destinata non aliud prosperæ memoriæ, famæ, gloriæ immortali comparandæ magis efficax ac opportunum existimemus medium, quam ciuitatum iura, immunitates et libertates non retinere, duntaxat verum augere et amplificare: non nemo enim ingens hoc dominationis et prudentiæ ciuilis censuit arcanum bono ordine ac optima iurium conseruacione stare et firmari vrbes et ciuitates. Ac proinde, postquam eo ipso die, quo sacrum regni capesseramus diadema, omnium et singulorum regni nostri ordinum regimini nostro a deo summo rerum omnium arbitro concreditorum et subiectorum omnia publica et priuata iura et priuilegia, a quibuscunque maioribus et prædecessoribus nostris gratiose concessa et indulta, seruaturos nos et rata firmaque habituros esse iurisiurandi religione spoponderimus, vt eam ob causam pondus et firmitatem inuiolabilem habeant: tamen cum nobis consiliarii nostri lateri nostro regio assidentes nomine totius communitatis Armenorum Leopoliensium per nobiles et spectabiles Nicolaum Dersimonowicz et Joannem Augustinowicz seniores Armenorum Leopoliensium ad comitia generalia felicis coronationis nostræ subdelegatos internuntios nobis supplicassent, vt omnia eorum iura, priuilegia, libertates, immunitates et consuetudines, quibus haetenus vsi sunt et vtuntur, præsertim vero literas confirmationis serenissimi piæ memoriæ Michaelis prædecessoris nostri aliarumque infrascriptarum authoritate nostra regia et speciali diplomate nostro approbare, confirmare et innouare dignaremur, quarum tenor de verbo ad verbum ea qua sequitur continetur serie et contextu: Michael dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæque etc. significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, quia, quamuis

Digitized by Google

augustissimæ inaugurationis nostræ tempore Cracouiæ — Datum Cracouiæ in comitiis felicis coronationis nostræ die quinta mensis Novembris a. d. 1669, regni vero nostri primo anno. Michael rex. Locus sigilli pensilis maioris cancellariæ regni. Hieronymus Pinocci regiæ maiestatis secretarius m/p. Nos itaque Johannes rex supramemoratus prædictæ supplicationi nomine totius communitatis Armenorum Leopoliensium apud nos factæ tamquam iustæ et æquitati consentaneæ benigne annuentes præinsertas literas et omnia ac singula in iisdem expressa iura, priuilegia, libertates, immunitates, prærogatiuas, a serenissimis prædecessoribus nostris iuste et legittime præfatæ communitati Armenorum Leopoliensium concessas, datas et emanatas, insuper et omnes laudabiles vsuque tentas et obseruatas consuetudines in omnibus punctis, clausulis, nexibus, ligamentis et conditionibus approbamus, confirmandas et ratificandas esse duximus, prout authoritate nostra regia approbamus, confirmamus et ratificamus præsentibus literis nostris, decernentes easdem, in quantum de iure sunt, vim et robur perpetuæ et inuiolabilis firmitatis obtinere debere. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Datum Cracouiæ in comitiis regni generalibus felicis coronationis nostræ die XVIII mensis Aprilis anno domini MDCLXXVI, regni nostri II. anno.

Joannes rex. Locus sigilli pensilis maioris cancellariæ regni. Stanislaus Buzenski IVA (regens cancellariæ regni maioris).

Aus K. August's II. Confirmat. v. 1697.

LXIV.

1678. K. Johann's III. Privilegium über die Contributionsfreiheit der armenischen Consuln und Aufnahme der Armenier in die Schützengilde.

Joannes tertius dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolenseiæ, Seueriæ Czerniechouiæque, significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, cum nobis per consiliarios nostros et supplicationem nomine nobilium et spectabilium nationis Armenæ consulum Leopoliensium expositum esset, magistratum eiusdem ciuitatis nostræ nationis Polonicæ ciues Armænos

Digitized by Google

in consulari officio existentes ad æqualem participationem et vsum prærogatiuæ libertatisque (in exemptione nimirum a contributionibus publicis et priuatis domuum lapidearum consularium dicti magistratus pro iure et more aliarum maiorum ciuitatum nostrarum huic oneri non subiacentium) admittere nolle, tum etiam confraternitatem iaculatoriam Polonicam communitatem Armænicam ab immunitatibus et libertatibus per priuilegia serenissimorum antecessorum nostrorum et nostrum confirmatorium dictæ confraternitati concessis nationem Armænam quasi ad exercitium artis iaculatoriæ non idoneam segregare, iustæ supplicationi consulum et ciuium Armænorum facile annuentes, cum regnorum munimenta sint bene ordinatæ ciuitates, illæ vero nonnisi societate indiuidua creseant floreantque, atque nil iniustius esse iudicamus, quam eos conciues ab æquali participatione iurium et libertatum restringi, quos in religione, defensione, contributione aliorumque prosperorum æque et aduersorum vsu indiuiduos et æquales socios esse, proinde nos legi publicæ et priuilegiis antecessorum nostrorum, quæ ciuitatem Leopoliensem cum Cracouiensi et Vilnensi ciuitatibus in singularibus prærogatiuis et immunitatibus plene coæquarunt, inhærendo et pro vigilantia nostra regia animaduertentes, ne in hac ciuitate separatione libertatum animi ciuium in vnione diuidantur, sæpe dictos ciues Armænos officia consulatus gerentes de iustitia et ex plenitudine potestatis nostræ regiæ ad libertatem et exemptionem a contributionibus quibusuis publicis et priuatis de domibus lapideis, in quibus ipsimet manent, admittendos, tum etiam communitatem eiusdem nationis Armænorum ad congregationem iaculatorum Polonicam in numero ad minimum quatuor personarum suscipiendos esse censuimus, et hisce nostris admitti et suscipi debere de certa scientia nostra declaramus. Quod et ad notitiam nobilis et spectabilis magistratus nostri quam et communitatis nationis Poloniæ Leopoliensis deducendum ijsdem iniungimus, quatenus in posterum consules et ciues nationis Armænicæ ad suprascriptas exemptiones et libertates sine vlla difficultate et iurium seorsiua vsurpatione suscipiant et pro æqualibus ciuibus in omnibus immunitatibus vigore allegatæ coæquationis generalis semper habeant pro gratia nostra et sub poena mille Hungaricalium. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Datum Jauorouiæ die XX. mensis Julij anno domini MDCLXXVIII, regni nostri IV anno. Locus sigilli maioris cancellariæ regni.

Joannes rex. Nicolaus Szule regiæ maiestatis secretarius.

Digitized by Google

Aus den Acten der Lemberger Burghauptmannschaft fer. 4 in Vigil. f. b. Virg. Mariæ a. d. 1678 ausgeschrieben und besiegelt. Im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

LXV.

1686. K. Johann's III. Sentenz über den Gebrauch des Consulitels, Contributionsfreiheit der Armenier u. a.

Joannes tertius dei gratia rex Poloniæ etc. significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis et singulis, remissam fuisse ad nos et iudicia relationum nostrarum propriarum per iudicium assessorum nostrorum causam seu causas mutuo et reciproco partium infrascriptarum actoratu sibi abinuicem institutam seu institutas. Et quidem primum ex instantia et actoratu generosi instigatoris regni ejusque delatorum honoratorum seniorum et totius communitatis nationis Armenicæ ciuitatis nostræ Leopoliensis nobilibus, spectabilibus, honoratis et famatis præconsuli, consulibus, aduocato, scabinis, regenti, quadraginta viris, lonheris totique communitati eiusdem ciuitatis Leopoliensis citatis pro eo: quod, etsi omnia decreta, præcipue vero illa, in quibus suprema antecessorum nostrorum intercedit authoritas, vim legis perpetuæ habeant inviolabiliterque tenenda et obseruanda sint, ac eorum convulsores seriis coerceantur poenis, citati nihilominus eiusmodi decreta, diplomata, ordinationes et rescripta nostra conuellendo rigoremque eorum floccipendendo, licet optime sciverint, vbique per delatores toties quoties deductum præscripto et ordinatione eorundem decretorum causas personarum Armenicæ nationis ex quacunque occasione (exceptis quotuor articulis) et cum quibuscumque personis sibi intercedentes a iurisdictione eorum ciuili exemptas esse, seorsivamque iurisdictionem seu iudicium Armenicale pro eiusmodi causis disiudicandis per serenissimos antecessores nostros constitutum, ne vero in illam involare præsumant, seriis poenis animaduersum, abutendo tamen superioritate, ac excedendo in officiis suis, priuataque quadam authoritate sibi arrogata, tam ipsi per se quam antecessores in officiis ipsorum, proconsules, consules, aduocati et scabini Leopolienses, causas et actiones Armenicas tum ab utrinque inter personas nationis Armenorum Leopoliensium tum et alias cum diuersæ conditionis hominibus sibi intervenientes per vim ad se adtrahunt et attraxerunt, ac eosdem partim seorsiuo officio proconsulari partim iudicio consulari seu iudicio ciuili, non attenta Armenicæ nationis mentaliter et vexatorie plerumque inculpatorum fori seu iurisdictionis suæ uti incompetentissimæ exeptione, interventione-

Digitized by Google

que delatorum cum iuribus, priuilegiis et decretis pro iurisdictione sua militantibus, indicarunt, insontes, ut præmissum, in causis irrealissimis et mere vexatoriis, stabiliendo nonnisi suam super delatores iurisdictionem, decretis grauissimis innodarunt, poenis puninerunt, ad carceres prætorii a limine iudicii sui non recedendo detrudi fecerunt, in iisdem contra omnem christianam pietatem nonnullos per festa solennia sacri paschalis detinuerunt, a quo suo privato ausu hucusque obstantibus tot serenissimorum prædecessorum nostrorum decretis, etiam nuperrimis literis nostris cessare non desinunt, et licet iisdem priuilegiis ac decretis antecessorum nostrorum circumscriptum mereque a condita urbe nostra Leopoliense recepto stabilitum contributiones bonum publicum spectantes per ciuesque et incolas Leopolienses æquali onere ferendas per ordines ciuitatis eiusdem sine consensu et subscriptione delatorum laudari non posse: citati nihilominus contra eadem decreta contributionem certam donatiua dictam absolute sine omni scitu et consensu subscriptioneque delatorum laudarunt et constituerunt, ex eadem contributione quotam ingentem nec substantiæ delatorum proportionatam nationi suæ summam septem millium florenorum Polonicalium delatores ipsis persoluerunt et reddiderunt, illi tamen in domo et lapidea delatorum ipso festo natiuitatis Christi domini, nulla reuerentia eiusdem habita, draganos ad maiorem extorquendam summam mittere præsumpserunt et immiserunt. De aliis vero contributionibus tam reipublicæ quam priuatis ciuilibus sine consensu nationis delatorum per se laudatis summam ultra omnem proportionem et æquitatem in delatores imponunt. Et dum deputati nationis delatorum aut super quota necessariæ contributionis ad conferentiam sui consulatus et nationis sese referunt aut etiam super contributionem non necessariam indebitam consensum dare laudaque eiusmodi contributionum subscribere nolunt, nihilominus citati ad talium contributionum exolutionem eosdem per vim adigunt, prout tot frequentatis vicibus ipsis in termino aduenienti denominandis per contumeliosam nonnullorum ex delatoribus in prætorio sub custodia sua ciuili detentionem adegerunt, nonnullos vero in eorundem contemptum, neseitur qua de causa, itidem sub custodia in prætorio detinuerunt. Et quamuis nihil æquius, quam ut contributiones, quæ eum onere communi feruntur, communi omnium subsint calculo: citati tamen, ne contributionum plerarumque in privatum usum et commodum conversarum delatoribus pateat distractio, habendo proventus nostros regales ciuiles et assessoriales, quorum itidem distributio sine dela-

Digitized by Google

torum consensu fieri non potest, munitionique ciuitatis, vallorum, murorum et turrium reparationi ac conseruationi applicari debent, nec tamen per eosdem applicantur, immo nescitur, in quales usus convertuntur, delatores modernos una secum ciuitas æquali prærogatiua gaudentes bonoque et conservationi ciuitatis intentos, manifeste ordinationi nostræ contraveniendo rigoremque illius vilipendendo, ad calculum de ciuilibus regalibusque proventibus ac aliis quibuscunque reditibus et contributionibus publicis ac priuatis quotannis ante electionem magistratus expediri solitum, toties requisiti admittere nolunt, imo delatores fictitijs et elusoriis responsis suis ab auscultando eodem calculo et regiis cassis revidendis realitateque illorum excludunt et hucusque excludebant nec admittunt. Insuper in maiorem iurium delatoribus servientium convulsionem aduenas Armenos orientales contra præscriptum privilegiorum poenaliaque mandata sine consensu et recommendatione delatorum ad ius ciuitatis et ciuitatem suscipiunt, mercimonia et artificia varia ijsdem exercere cum summo præiudicio patriciorum nationis Armenicæ Leopoliensis permittunt, eosdem fovent, mercatores Græcos contra iura et depositorium ultra in Poloniam cum mercibus proficisci iisdemque cum præiudicio et damno delatorum mercari permittant. Non contenti vero iurium et priuilegiorum decretorumque delatoribus servientium convulsione ad enervationem substantiæ illorum descendentes, sub prætextu retentarum quarumdam contributionum irrealium a delatoribus tam possessionatis quam impossessionatis etiam tenuissimæ fortunæ, dummodo sint nationis Armenicæ, exactiones ingentes exigunt, aliis vero honestos vivendi modos præpediunt, alios incarcerari, nonnullis sine ulla causa fornices cum mercibus variis aromatibus et celaria cum vinis occludi et quasi officioso sigillo obsigillari (prout et pro illo tempore præteritis nundinis Sanctæ Agnetis executi sunt) faciunt, ab aliis a propinatione liquorum pensiones non iuxta antiquas quietationes, sed pro velle suo exigi permittunt, multasque alias tam in personas et bona delatorum iniurias et aggravationes inferunt et inferre non desinunt, prout id seorsinis protestationibus (ad quas se eadem citatio referebat) specifice continetur et citatis iisdem in termino latius proponi ac deduci debuit. Ad extremum quantumvis novissime literas nostras et ordinationem in perpetuum pro meliori ordine valituram ex iusto et æquo iisdem delatoribus largiti sumus, quibus iurisdictionem illorum tot decretis firmatam præcustodiuimus, ad calculum suprafatum se ratocinia admitti delatores ipsis mandauimus, neve subscriptionem

Digitized by Google

illorum in laudis contributionum per detentionem illorum in prætorio coactive exigere præsumant, serio inhibuimus, taxam bonorum domuum lapidearum Armenicalium nonnisi per solos eorundem deputatos expediendam statuimus, tum domos et lapideas delatorum consulum a quibusuis contributionibus ex solis eorum residentiis exemplo omnium magistratuum eximimus, atque ex communitate nationis Armenicæ quatuor ad minimum personas ad confraternitatem iaculatorum suscipi debere sub poena mille aureorum declarauimus, citati in evidentissimam earundem literarum, ordinationis nostræ atque authoritatis regiæ supremæ convulsionem post receptas easdem literas, stante iam lite per citatos delatoribus indebite et calumniose post curiam nostram instituta, sine ullo consensu delatorum quindecem contributiones notabilem summam efficientes laudarunt, easdem per vim exigendo, fornices cum mercimoniis delatorum consulum ut et aliorum, etsi eiusmodi contributionem ex aliis domibus suis exolverunt, ad duodecem numero cum summa eorundem fidei mercatorialis diminutione obsigillarunt nec resigillare requirentibus delatoribus (quo facto literæ nostræ supratactæ convulsæ sunt) voluerunt, nullum præterea e communitate Armenica ad confraternitatem iaculatorum admiserunt, exindeque literas nostras aesi convulserunt vadiumque ibidem appositum succubuerunt et in se traxerunt. Quas tam manifestas iurium, privilegiorum, decretorum et rescriptorum ac ordinationum nostrarum delatoribus servientium aesi convulsiones ac enormes iniurias ipsis illatas palliando, rescripta nostra ad sinistram informationem et male narrata imo subreptitie contra iura exportant exportareque non desinunt, quemadmodum præmissa omnia ipsis comprobari debebant. Citati itaque erant ad videndum et audiendum illos respectu iurium, privilegiorum et decretorum tam serenissimorum antecessorum nostrorum per arrogatam sibi privata authoritate in causis delatorum iurisdictionem, quam literarum nostrarum convulsionis puniri, vadia per illos succubita et in illis expressa atque rigorem decretorum regalium super se extendi, circaque tam antiqua iura, privilegia et decreta quam et literas illas declarationis et ordinationis nostræ in omnibus punctis inviolabiliter delatores sub rigore earundem et aliis poenis nostris arbitrariis conseruari ac manuteneri, proportionem et æquitatem in omnibus contributionibus in posterum inter citatos et delatores seruandam statui, per citatos Armænorum advenas ad ius et civitatem sine commendatione delatorum susceptionem abrogari, rationeque anteactæ susceptionis rigorem poenalium mandatorum super

Digitized by Google

ipsos extendi, tum intuitu mercatorum Græcorum per depositorium transmissorum per idque depositorii convulsionis citatos puniri, et ne id in posterum facere præsumant, rigide interdici, rescripta illorum superius nominata tolli, cassari et annihilari, damna per superius attentata delatoribus causata et per eosdem in termino liquidanda resarcire, neve in posterum similia præiudicata iniurias in personas et bona delatorum, quos ex illa citatione cum mercibus, bonis ac personis illorum sub protectionem nostram regiam accepimus, et ne sub specie aliquarum contributionum illos ad decisionem nostram causæ præsentis impetere et aggravare præsumant, sub nullitate attentatorum et poenis in convulsores decretorum nostrorum sancitis inhibuimus attentare audeant, serio animadverti, citatos in damnis et litis expensis delatoribus causatis et causandis condemnari, cætera demum pro causæ exigentia iuris et termini ratione contra illos in præmissis statui et sententiari. Deinde ex actoratu et instantia eiusdem generosi instigatoris regni et eius delatorum præfatorum nobilium et spectabilium præconsulis, consulum, advocati, scabinorum, regentis, quadraginta virorum totiusque communitatis ciuitatis Leopoliensis honoratis senioribus Armenis Leopoliensibus reciproce citatis ideo, quod, licet tam antiquis quam recentioribus decretis et ordinationibus divorum antecessorum nostrorum regum Poloniæ decisum et statutum vadiisque vallatum sit, ne inter ordines et nationes ciuitatis nostræ infrascriptæ discordiæ, dissensiones, simultates et inimicitiæ unquam per quempiam innouentur, et aliquæ turbæ, tumultus vel seditiones excitentur, imo vt omnes intra metas officii sui sese contineant, pacem et concordiam, sine qua valla et fundamenta ciuitatis veluti periculoso fulmine discinduntur, perpetuo conseruent, decreta et ordinationes quoad iura, prærogativas et titulos conditionis, ordinis et nationis præfatæ ciuitatis nostræ, præsertim in causa boni regiminis, consultationum publicarum et contributionum concludendarum, onerumque ciuitatis supportandorum ac iurium depositi vindicandorum, per serenissimos antecessores nostros ex serijs partium controuersiis lata et ad literam perpetuis temporibus teneant et exequantur. Ipsi nihilominus immemores officiorum et iuramentorum suorum, quibus ad exhibendam reuerentiam, præstandum obsequium et subeundum iudicium magistratui suo legitimo de præscripto decretorum nostrorum et ex necessitate parendi obligati sunt, ut semper antea ita et his dubiis ac formidolosis temporibus varias machinationes et conspirationes contra legitimum magistratum illorum brachium

Digitized by Google

nostrum regale repræsentantem idque contra securitatem regni et cum periculo ciuitatis in confinio regni positæ attentare ausi sunt, nec vigorem poenarum metuentes supramemorata decreta, statuta et ordinationes serenissimorum prædecessorum nostrorum vadiis vallata convulsiones et manifestam ac notoriam contraventionem in iisdem admiserunt, dum videlicet antiquis titulis, quibus antecessores ipsorum a condita urbe semper usi fuerunt, non contenti, iam non seniores nationis suæ Armænicæ, sed consules se dicunt, subscribunt et appellari iubent, in eumque finem rescriptum quoddam et priuilegium ac libertationes atque exemptiones a iurisdictione, contributionibus et oneribus ciuilibus, iuribus, immunitatibus, diplomatibus et decretis ciuitatis contrarias magistratuique eorum legitimo imo toti ciuitati præiudiciosas, ex cancellaria nostra ad sinistram illius informationem impetrarunt et exportarunt, ac exinde iudicia et consultationes publicas ordinum tumultuarie impediunt, conclusionesque ordinum et earum subscriptiones de industria præpediunt ac retardant, vel etiam temere subscribere renuunt, ac onera ciuitatis æqualiter cum ciuibus sufferre recusant. Insuper executiones in bonis et personis illorum magistratui suo legitimo nullo modo permittunt facere, aliaque inventa et molimina ad exuendam reuerentiam, executiendam obedientiam atque eludendam authoritatem magistratus illorum legitimi tollendam et evertendam et ipsi machinati sunt et alios ciues exemplo et suggestionibus suis illicitisque comminationibus etiam adhibitis, ut cum illis sentire velint, ad similes ausus et facinora adduxerunt, id unum semper agentes, ut in tanta animarum distinctione semper iactentur ciues et ciuitas velut contrariis motibus distractissima contabescat, verius ob ambitionem illorum intestinæque contentionis media ciuitas ipsa funditus intereat, faciendo præmissa in diminutionem authoritatis regiæ nostræ, convulsionem iurium, diplomatum, immunitatum, decretorum civitatis et in præiudicium personarum in magistratu consulari existentium. Quo facto poenas legum eo nomine sancitas et iam decretis serenissimorum antecessorum nostrorum, videlicet viginti quatuor millibus florenorum Polonicalium, vallatas promeruerunt, quæ omnia in termino fusius ipsi deduci debuerunt. Citati itaque sunt ad videndum et audiendum ipsos in huiusmodi poenis condemnari atque pro eiusmodi ausibus et excessibus poenis legum puniri, rescripta eadem, priuilegia libertatesque, exemptiones quasvis per ipsos nulliter impetratas et exportatas tolli, cassari, omniaque alia per illos attentata annihilari ac in damnis litisque

Digitized by Google

expensis condemnari institutam, citationibus alias originalibus ab utraque parte extraditis præmissa fusius enarrantibus. Juxta quas citationes per partes scorsiue et reciproce editas, tum quoque vigore adcitationis nostræ ad reponendum decretum ex parte honoratorum seniorum et totius nationis Armænicæ Leopoliensis super magistratum et communitatem eiusdem ciuitatis ex actoratu suo in iudiciis nostris obtentum extraditæ, cum partes suprascriptæ, respective actorea et citata, coram iudicio assessorum nostrorum feria secunda in crastino dominicæ Jubilate anno domini millesimo sexcentesimo octuagesimo primo comparerent et controuerterent, iudicium assessorum nostrorum, cassato eodem decreto contumaciali ex parte seniorum nationisque Armænicæ feria tertia ante festum sanctæ Heduigis electæ viduæ in anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono prolato, combinatisque earundem partium mutuis actoratibus et reatibus, attento eo, quod ab utrinque intercederent et per partes producerentur iura, privilegia, decreta ac rescripta regia: ideo partes easdem cum toto causæ effectu ad nos et iudicia relationum nostrarum propriarum remiserat terminumque in iisdem iudiciis nostris absque quavis adcitatione conservaverat. Interim ne dissolutus ordo esset ciuitatis et unio animorum inter concives maneret non interrupta, partes easdem circa antiquas ordinationes et consuetudines tam quoad iurisdictionem quam quoad contributiones usque ad finalem causæ utriusque partis decisionem manutenuerat. In quo remissionis lermino seniores et tota natio ciuium et incolarum Armenorum Leopoliensium decretum in contumaciam nobilis et spectabilis magistratus ac ordinum communitatisque Leopoliensis Jauorouiæ feria quarta in crastino festi sanctorum Simonis et Judæ apostolorum eodem anno millesimo sexcentesimo octuagesimo primo obtinuerunt, ad quod reponendum citationem nostram idem nobilis magistratus, ordines et communitas Leopoliensis extradiderunt. Nihilominus iterum in termino ex eadem citatione nostra in iudicio assessorum nostrorum incidente non comparuerunt, in quorum contumaciam decretum secundarium itidem Jauoroniæ Sabbatho pridie dominicæ Rogationum, die scilicet sexta mensis Maij anno domini millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto, prolatum fuit, ad quod similiter reponendum et cassandum atque causam seu causas suprascriptas in integrum restituendas citatio nostra ex parte nobilis et spectabilis magistratus, ordinum ac communitatis Leopoliensis iisdem senioribus et toti nationi Armenorum Leopoliensium intimata fuit. Porro in termino

Digitized by Google

ex eadem citatione nostra ultimario ad reponendum decretum emanata promanante, cum partes sæpedictæ coram iudicio assessorum nostrorum Varsauiæ Sabbatho post festum Visitationis beatissimæ Mariæ virginis proximo, nempe die septima mensis Julii anno proxime præterito millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto compararent et controverterent, iudicium assessorum nostrorum, decreto in contumaciam magistratus et communitatis Leopoliensis Jauorouiæ Sabbatho pridie Dominicæ Rogationum, scilicet die sexta mensis Maij anno domini millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto ex instantia nationis Armenicæ prolato reponibili adinuento et totaliter sublato ac cassato, partibus iisdem de altero decreto priori similiter contumaciali in iudiciis relationum nostrarum propriarum feria quarta in crastino festi sanctorum Simonis et Judæ apostolorum in anno domini millesimo sexcentesimo octuagesimo primo ex parte Armænorum obtento experiri mandaverat. Experientibus autem partibus iisdem, iudicium memoratum assessorum nostrorum partes prænominatas ad nos iudiciaque relationum nostrarum propriarum cum toto causæ effectu conservando terminum absque quavis adcitatione in iisdem iudiciis nostris remiserat. Interim tamen ne in civitate hac Leopoliensi ordo esset dissolutus unioque animorum concivium et quies inconcussa maneret, partes easdem circa antiquas ordinationes et consuetudines tam quoad iurisdictionem quam quoad contributiones (quas omnes nationis Armenicæ personæ etiam ipsi seniores Armenorum Leopoliensium iurati solvere tenebantur) usque ad finalem causæ utriusque partis decisionem conservaverat et manutenuerat. Quo in termino ex prætacta remissa iudicii assessorum nostrorum cadente, cum partes suprascriptæ, et quidem actorea reponendi nobiles et spectabiles proconsul, consules, advocatus, scabini, regens, quadraginta viri totaque communitas civitatis nostræ Leopoliensis per nobiles et spectabiles Mathiam Kuczankouicz iuris utriusque doctorem, Albertum Kupinski, Andream Szymonouicz medicinæ doctorem, secretarios nostros, consules, et honoratum Dominicum Hepner syndicum civitatis eiusdem, adcitata vero, scilicet nobiles et honorati seniores ac tota natio Armænorum Leopoliensium per nobiles ac honoratos Joannem Augustinowicz, Nicolaum Bernatowicz, Nicolaum Awedykouicz, Simonem Muratouicz, Dominicum Bogdanouicz, Simonem Manczukiewicz, seniores nationis Armenicæ Leopoliensis, Joannem Albrachtum Muratouicz nationis eiusdem syndicum, tum famatos Nicolaum Hadzieiouicz et Jacobum Pirumouicz ex communitate Armenorum coram nobis et iudicio

Digitized by Google

relationum nostrarum propriarum hic Zolkieuiæ feria sexta ipso die festi conversionis sancti Pauli apostoli, die scilicet vigesima quinta mensis Januarii anno currenti comparerent et controuerterent, et quidem actorea reponendi decretum prætactum in contumaciam sui per nationem Armenicam in iudiciis relationum nostrarum propriarum obtentum subsistere non posse multifariis iuris rationibus verbo in iudicio nostro allegatis contenderet, insimul quoque et actoratum suum introducendo citationem nostram supra insertam ex instantia sui editam perlegeret contentaque illius decerni supplicaret, nos cum senatoribus et consiliariis regni lateri nostro assidentibus, post expeditas actoreæ partis reponendi controversias et inductionem, continuationem causæ istius ad aliam diem iuridicam reiecimus terminumque partibus præfatis ad ulterius experimentum iuridicum inter se faciendum, et quidem adcitatæ modernæ, scilicet nationi Armenorum, ad respondendum, et vicissim ex actoratu suo proponendum conseruauimus, quo in termino ex reiectione nostra nupera proveniente partibus prænominatis prout supra coram nobis et iudicio nostro comparentibus et rursus in experimentum iuridicum descendentibus, et quidem adcitata moderna reponendi nobilibus et honoratis senioribus ac tota natione Armænorum Leopoliensium præmissa decreti nostri præasserti contumacialis iustificatione citationem quoque suam relegentibus ac negotium principale inducentibus verificandoque contenta eiusdem sui actoratus ac diplomata nostra prius sub die vigesima octava mensis Maij, posterius autem sub die vigesima octava mensis Julij in anno domini millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo ex cancellaria regni pro sua parte emanata stabiliendo, decreta varia inter magistratum Leopoliensem semper citatos et sese Armenos lata, utpote serenissimi Sigismundi in anno millesimo quingentesimo decimo Petricouiæ Sabbatho ante Dominicam Oculi quadragesimalem, item eiusdem Sigismundi Cracouiæ feria tertia post festum sancti Lucæ evangelistæ proxima anno millesimo quingentesimo decimo octavo, et subsequenter Sigismundi Augusti Petricouiæ feria secunda ante festum sanctæ Agnetis in anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Vladislai quarti Leopoli feria quinta ante festum sanctorum Simonis et Judæ apostolorum in anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, ac itidem eiusdem serenissimi Vladislai quarti feria secunda in vigilia festi sancti Thomæ apostoli anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, deinde eiusdem serenissimi piæ memoriæ Vladislai Sabbatho ante festum sanctæ Mariæ Magdalenæ in anno millesimo

Digitized by Google

sexcentesimo quadragesimo sexto, insuper privilegium Casimiri Magni feria sexta intra octavas festi sacri Pentecosten in anno millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, item decretum Casimiri regis anni millesimi quadringentesimi sexagesimi noni, decretum Sigismundi tertii Sabbatho intra octavas festi sacratissimi corporis Christi anno millesimo sexcentesimo secundo, privilegium Ludovici regis de data millesimo trecentesimo octuagesimo et Elisabethæ reginæ millesimo trecentesimo septuagesimo nono prælegentibus; præterea decretum commissoriale in anno millesimo sexcentesimo decimo quinto feria secunda in crastino Dominicæ sanctissimæ et individuæ trinitatis: adhæc decretum serenissimi Joannis Casimiri Leopoli feria quarta post festum sancti Bartholomæi apostoli anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio; item aliud decretum eiusdem serenissimi regis in anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto lata allegantibus; particularia quoque decreta inter Armænos et privatos consules ciuesque, videlicet feria sexta ipso die festi sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum et feria quarta ipso die festi sanctæ Priscæ, tum Sabbatho post octavas epiphaniarum in anno domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo prolata reproducentibus, rescripta quoque de anno millesimo sexcentesimo trigesimo die decima septima Decembris et aliud de anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo die vigesima secunda Januarii, tum et recentia bina rescripta, pro quorum repositione nunc agitur, utpote primum sub data vigesima octava mensis Maij, alterum die vigesima mensis Julii anno millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo Januoviæ obtenta exhibentibus; pro finali confirmationem privilegii coæquationis in comitiis regni generalibus per ordines regni toti ciuitati anno domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono impertiti per serenissimum Michaelem regem antecessorem nostrum anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo factam, tum constitutiones regni præsertim millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni titulo Declaracya Przyvileiu Miasta Lwowa atque constitutionem millesimi sexcentesimi septuagesimi sexti titulo Miasta Lwow allegantibus, aliasque rationes de iure, iustitia et æquitate inferentibus: econtra magistratu et communitate Leopoliense sua quoque iura, privilegia et decreta varia pro civitate lata allegantibus et rationes Armenorum verbo refutantibus, rescriptorum quoque præallegatorum pro parte nationis Armenicæ emanatorum nullitatem ex rationibus verbotenus illatis objicientibus, et aliud contrarium rescriptum nostrum de data decima quarta mensis Aprilis anno domini

Digitized by Google

millesimo sexcentesimo septuagesimo nono emanatum reproducentibus, seque circa illud conservari petentibus: nos cum iisdem senatoribus et consiliariis regni lateri nostro assidentibus, exceptis partium earundem coram nobis et iudicio nostro feria secunda post idem festum conversionis sancti Pauli apostoli, nempe die vigesima octava mensis Januarij, comparentium et secum iudicialiter disceptantium controversiis, super ferendam eo in negotio sententiam nostram deliberauimus partibusque iisdem terminum iterum coram iudicio nostro præsenti absque quavis adcitatione peremptorium conservavimus. In termino itaque hodierno ex prætacta deliberatione nostra conservato legitime ad præsens proueniente et hucusque continuato partibus prænominatis, et quidem actorea reponendi, nobilibus, spectabilibus, honoratis et famatis proconsule, consulibus, advocato, scabinis, regente, quadraginta viris totaque communitate civitatis nostræ Leopoliensis per nobiles et spectabiles Mathiam Kuczankouicz iuris utriusque doctorem et Albertum Kupinski secretarios nostros consules atque honoratum Dominicum Hepner syndicum ciuitatis eiusdem unacum nobilibus Francisco Włoszkieuicz et Mathia Kolinski, adcitata autem moderna, scilicet nobilibus et honoratis senioribus ac tota natione Armenorum Leopoliensium per nobiles et honoratos Gregorium Joannem Augustinouicz, Nicolaum Christophorum Bernatouicz, Nicolaum Anedykouicz alias Kulha, Dominicum Bogdanouicz, seniores, et Joannem Albrachtum Muratouicz syndicum nationis Armenorum Leopoliensium suo et aliorum nomine coram nobis et iudicio nostro compareutibus et eundem terminum attentantibus: nos cum præfatis senatoribus et consiliariis regni lateri nostro assidentibus expediendo præhabitam deliberationem nostram decretum praetactum nostrum super magistratum et communitatem Leopoliensem ex parte et instantia nationis Armænicæ eiusdem ciuitatis in iudicijs relationum nostrarum propriarum Januouiæ feria quarta in crastino festi sanctorum Simonis et Judæ apostolorum anno domini millesimo sexcentesimo octuagesimo primo prolatum tanquam in causa public, respectu iurium et priuilegiorum utrique parti servientium obtentum reponibile esse adinveniendum duximus, prout adinvenimus, eoque sublato et cassato, non descendendo in cognitionem legalitatis præallegatorum et exhibitorum reseriptorum nostrorum partibus in pso negotio principali iuridice experiri mandauimus. Quibus demum experientibus et ad rationes suas anterius illatas sese referentibus nos cum sæpedictis senatoribus et consiliarijs nostris lateri nostro

Digitized by Google

assidentibus, partium earundem controuersiis et illationibus mature trutinatis iuribusque, privilegiis et decretis ab utrimque reproductis lectis et bene perpensis, considerando, quod fides Romano-Catholica uti humanæ salutis initium et omnium bonorum fundamentum, ita regni vinculum et firmamentum, et quod regia potestas non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesiæ et fidei catholicæ præsidium principibus sit collata, nec alia res animos et mores componit, quam religio: quapropter eo attento, quod ciues nostri Armeni ad seruandam animorum unionem et retinendum unanimem unius eiusdem religionis cultum ob euitandas omnis dissensionis et discordiarum occasiones in fundamento regii decreti anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi quarti non modo veram et vnicam apostolicam Romanam fidem se profiteri asserant, sed etiam circa eandem morituros se velle iudicialiter declarent, imo eiusdem ultro, benevole, libere, palam ac publice publicam et solennem professionem, quandocunque libuerit, in se suscipiant, proinde tali ipsorum laudabili zelo acceptato eosdemque opportuno tempore adimpleto indulta et libertates sequentes actione moderna prætensas iisdem Armenis largimur et declaramus. Et quidem in primo puncto respectu prætensi affectati et in rescriptis nostris supraspecificatis appositi per seniores Armenorum consularis tituli: quonium hæc eadem denominatio et titulus consul in præmium meritorum et ministerii curarumque publicarum olim dabatur, solique et nonnisi magistratui cuilibet tanquam primo et præcipuo in civitatibus capiti continue de bono ordine et recto regimine consulenti cumque iactura fortunarum propriarum deliberanti de usu et praxi omnium in et extra regnum Poloniæ urbium ac civitatum tribuebatur et proprie competit: ideirco decernimus, quatenus nobiles et honorati seniores Armenorum Leopoliensium iidem omnes duodenarium numerum complectentes abhinc non iam seniores aut consules, verum iudices Armenorum in civitate eadem degentium alias Sądowi Ormiansey nominentur, vocentur, scribantur, muniaque et officia vigore iurium, privilegiorum ac decretorum sibi ex antiquo competentium exerceant et nationi eidem præsint. Quoad vero libertatem a contributionibus personarum suarum affectatam sententiamus: ut ijdem iudices Armenorum non quidem omnes in simul duodecim, verum per vices personæ sex pro anno primo ad residentiam actualem more solito electæ sive denominatæ a non solvendis contributionibus publicis et privatis de domo seu lapidea, in qua unusquisque eorum ipse habitat, libertate gaudeat,

Digitized by Google

alii porro sex eodem anno non residentes (ne populus in contribuendo aggravetur) oneri huic solvendarum contributionum subiaceant; sequenti autem anno reliqui ijdem sex, qui vacabant ad residentiam, more solito vocentur, et tanquam actu residentes eadem immunitate non contribuendi toto integro anno fruantur. Similiter in puncto segregationis et non admissionis ad fraternitatem iaculatorum eorundem iudicum Armenicalum nos cum iisdem senatoribus et consiliariis nostris, ex quo crescentibus periculis debet quoque augeri numerus defensorum, adinvenimus, ut nobiles, spectabiles et honorati seniores eiusdem congregationis iaculatoriæ ad numerum suum duodenarium tres personas e medio nationis Armenicæ eligendas acceptent alboque dictæ confraternitatis more ibidem practicato inscribant, ita ut abhinc non duodecem sed quindecem personæ seniores artis iaculatoriæ actualiter sint numerenturque. Isti porro tres ex gente Armena taliter cooptati et adscripti pari immunitate gaudeant, iuribus ac privilegiis eidem fraternitati antiquitus servientibus fruantur ac in omnibus iisdem satisfaciant pareantue. Deinde in actoratu et citatione Armenorum respectu iurisdictionis et iudiciorum Armenis servientium per magistratum Leopoliensem acsi turbatæ, si quidem citati, magistratus scilicet Leopoliensis, proposita non agnoscendo se semper iuxta præscriptum iurium ac decretorum regiorum processisse et nonnisi in actionibus per decreta anteriora regia expressis atque iuxta quatuor articulos præsertim et sæpius in causis criminalibus iudicasse sese iustificat, ideo partes circa decreta serenissimorum antecessorum nostrorum superius exhibita, præcipue vero et signanter circa decretum serenissimi Vladislai quarti Leopoli feria quinta ante festum sanctorum Simonis et Judæ apostolorum anno domini millesimo sexcentesimo trigesimo quarto post solennes controuersias eo nomine latum conservamus, utque nobilis et spectabilis magistratus consularis aut advocatus pro tempore existens vel iudicium scabinale (præter articulos hos ratione fundorum seu bonorum immobilium, ratione homicidii, ratione furti, ratione excessus contra officium aut iudicium sive contra regimen boni ordinis, ratione gverricæ invasionis domus, ratione tumultus excitati causationis et ratione vulnerum lethalium alias smiertelnych razow) sub prætextu actionum criminalium, violentiarum aut vulnerum inter quatuor articulos in decreto serenissimi olim Sigismundi Augusti Petricoviæ in conventu feria secunda ante festum sanctæ Agnethis anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio specificatos generice mentionatarum criminalia late

Digitized by Google

sumendo ad causas et actiones ullas super Armenos contra decreta illis et iudicio eorum seruientia sese non ingerat, nec ultra tenorem decreti præsentis suam iurisdictionem extendere, arrogare usurpareque super ipsis pertentet nec audeat, nisi et non alias in causis, quæ pure, mere, simpliciter, de plano et euidenter (absque ullo quæsito colore vel rationibus captatis) criminales fuerint, idque sub poena quadringentarum marcarum per decretum serenissimi Vladislai quarti Varsaviæ feria secunda ipsa vigilia festi sancti Thomæ apostoli anno domini millesimo sexcentesimo trigesimo octavo duplicata et interposita per medium fisco et parti applicanda irremissibiliter casu contraventionis extendenda statuimus. Viceversa Armeni in casibus iisdem taliter expressis a iurisdictione magistratus aut iudicii civilis non se eximant, imo pareant seseque iustificent. Judicium quoque Armenicale Leopoliense (præter hos exceptos casus) omnes quascunque actiones et causas inter Armenos ab utrinque vel ex reatu Armeni intercedentes tanquam suo foro competentes sine ulla magistratus aut iudicii ciuilis contradictione secundum iura et articulos suos Armenicales iudicet, definiat et decidat declaramus. Quod porro concernit quærelam occasione non admissionis Armenorum ad excipiendum calculum et rationes de prouentibus tam ordinariis quam extraordinariis civilibus, nos eum præfatis senatoribus habita ratione æquitatis et iustitiæ, quæ omnes ad ferenda onera et solvendas contributiones obligatos a calculatione perceptorum expensarumque excludere non suadet, decernimus, quatenus ad rationes publicas et calculos proventuum in genere omnium contributionum ordinariorum et extraordinariorum annuatim vel per quartualia vigore iurium, privilegiorum decretorumque eo nomine servientium supra allegatorum fieri et expediri solitos ad numerum decem virorum per decreta serenissimorum regum antecessorum nostrorum destinatorum etiam ex natione Armenica unus e medio iudicum Armenicalium per ipsosmet eligendus sive præsentandus vir idoneus prius iuramento corporal inxta rotham per memoratos decem viros præstari solitam obstrictus admittatur et calculatoribus decem viris adiungatur, qui taliter admissus una et simul cum præfatis decem viris calculos, regestra et rationes perceptorum et expositorum omnium civilium inspiciat, trutinet et subscribat, ad exactiones autem siue ad exigendas quasnis collectas aut contributiones laudatas iudices Armenorum unam vel duas ex natione Armenicali personas honestas possessionatas designare tenebuntur, qui in loco prætorii solito insimul cum exactoribus ciuilibus easdem exactiones

Digitized by Google

contributionum diligenter et fideliter exerceat, rationem posthac redditurus, edicimus. Quoad laudandas, constituendas imponendasque per ordines ciuitatis tum nationem Armenicam collectas quascunque sive contributiones: in hoc puncto partes circa decreta diuorum prædecessorum nostrorum prout supra reproducta, nominatim vero serenissimi Joannis Casimiri sub data Leopoli feria quarta post festum sancti Bartholomæi apostoli proxima anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio post solennes partis utriusque eiusdem controuersias promulgatum, tum et circa usum ac consuetudinem hactenus receptam conservamus, et quod deputati Armenorum non referendo se ad nationem suam contributiones laudatas concludere et illico subscribere teneantur declaramus. Porro in casibus subitaneis et repentinis partes circa decretum serenissimi olim Joannis Casimiri Leopoli feria quinta post festum sancti Bartholomæi apostoli proxima anno domini millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio manutenemus. Quantum ad contributionem ex facultatibus ciuium casu necessitatis unanimi ordinum ac nationum audo sancitam præuia taxa exigendam, nos cum toties nominatis senatoribus et consiliariis nostris ad parandam inter partes efficatiorem animorum unionem sancimus: quatenus hæc eadem facultatum ac substantiæ propriæ civium et uniuscuiusque ciuis vel mercatoris taxa abhinc per duos ex nobili et spectabili magistratu consulari, per unum ex collegio scabinali, per quatuor personas ex ordine tertio, per tres e medio iudicum Armenicalium, denique per duos ex natione Ruthenorum semper ab unoquoque ordine et natione electos seu designatos præuio corporali iuramento de fideliter et iuste seposito amici vel inimici amoris et odij omni respectu taxando per eosdem deputatos præstando expediatur contributioque laudata exigatur. Quod spectat susceptionem Armenorum tam indigenarum quam extraneorum ad ius ciuitatis magistratui obiectam: insistendo decreto serenissimi Joannis Casimiri Varsauiæ feria tertia in crastino festi sancti Laurentii martyris anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto declaramus et inhibemus, ne nobilis ac spectabilis magistratus Leopoliensis homines extraneos alienigenas, utpote Turcos, Saracenos et Armenos externos etiam, nec illos, qui in civitatibus ac oppidis regni Poloniæ commorantur vel cohabitant, ad libertates et iura civitatis ac immunitates Armenis ciuibus Leopoliensibus concessas seruientes ampliatasque suscipere et in album ciuitatis inscribere unquam præsumat, nisi sit vel fuerit iudicibus Armenorum Leopoliensium debite recommendatus et præsentatus. In puncto Græcorum merca-

Digitized by Google

torum extraneorum contra iura depositorij in ulteriorem Poloniam cum mercibus omisso depositorio Leopoliensi proficisci aesi per nobilem et spectabilem magistratum priuatim permissionis, ex quo actores natio Armenica hanc obiectionem minime probant nec deducunt: ideo incompetenti hac in parte actione adinventa, citatum magistratum de plano liberamus. Intuitu autem propinationis liquorum quasi Armenis denegatæ nationem Armænicam totam adeoque omnes Armænos ius ciuitatis legitime habentes, siue sint possessionati siue non, circa decreta hac in parte lata, præsertim serenissimi Joannis Casimiri Varsauiæ feria tertia in crastino festi sancti Laurencij martyris anno domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto tam in puncto propinationis quam respectu mercaturæ et artificij manutenemus, cum hac expressa declaratione, quod, quoties contigerit, duos aut tres hæredes in una eademque lapidea seu domo in ipsa ciuitate manere sortesque suas hæreditarias possidere, liberum licitumque esse debeat unicuique hæredi possessori propinationem decreto regio præexpresso permissam exercere, ita tamen, ut non omnes omnia, sed singuli singula, unus vinum, alter cerevisiam sive crematum, tertius mulsum propinare teneatur. In quo nobiles et honorati iudices Armenorum attendentiam ex mente eiusdem decreti regii anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi quarti habeant provideantque ordinamus. Insuper in puncto collectæ seu contributionis extraordinariæ pro litigio aut processu occasione quarumcunque rerum et prætensionum cum natione Armena intercedenti laudari solitarum exindeque damnorum prætensorum: nos cum senatoribus et consiliarijs nostris lateri nostro assidentibus magistratum hac in parte pro nunc ab ista objectione absoluimus: in futurum tamen in casu simili easdem contributiones sive collectas extraordinarias modo solito et consveto currere debere declaramus: hac præcautione adiecta, quodsi et in quantum magistratus temerarij litigij compertus fuerit esse reus, eo casu contributiones ab Armenis exactas unacum litis expensis restituere tenebitur. Et e contra Armeni, si similiter temerarij litigii arguentur esse rei, tam contributiones per se exolutas perdere quam et expensas litis exoluere erunt adstricti decernimus et sententiamus. Damna demum et litis expensas mutuo erogatas et prætensas, ex quo pars utraque iura sua tuebatur, abinuicem inter easdem partes compensamus præsentis decreti nostri vigore. In quorum fidem præsentibus sigillum regni est appressum. Actum Zołkieuiæ in Russia in iudicijs relationum nostrarum propriarum feria quarta pridie festi sancti Valen-

Digitized by Google

tini presbyteri et martyris, scilicet die decima tertia mensis Februarij anno domini millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto, regni nostri anno duodecimo. Michael Radzieiowski episcopus Varmiensis procancellarius regni m/p. Relatio illustrissimi et reverendissimi in Christo patris domini Michaelis Stephani comitis in Radzieiouice et Kryłow Radzieiowski episcopi Varmiensis et Sambiensis Vicecancellarii regni, terrarum Prussiæ præsidis. Stephanus Hankieuicz decretorum curiæ regni notarius.

Papierurkunde mit Siegel, im Lemberger Stadtarchiv, Fasc. 396.

LXVI.

1688. K. Johann III. befiehlt der Lemberger Stadtgemeinde die Berichtigung einer bestimmten Geldsumme an die armenischen Richter.

